4A
1
2
16

4A
1
2
16

Foi 4-49-5

4A
1
2
16

# DE GRATIA INCREATA, ET CREATA.

## TOMVS PRIMVS, QVI EST DE SPIRITV SANCTO.

AVCTORE

FR. IOANNE DE PORTVGAL
Epiſcopo Viſenſi de familia
Prædicatorum.

*Duce & magiſtro Angelico Doctore S. Thoma.*

*Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius.*
*Nonnè Dominus fecit ſanctos enarrare omnia mirabilia ſua, quæ confirmauit Dominus omnipotens ſtabilire in gloria ſua.* Eccleſ.42.

CONIMBRICÆ.

*Ex Officina Didaci Gomez de Loureyro Academiæ Typographi. Anno Domini.*
1627.

De Santa Cruz de Busaco

# DE GRATIA
# INCREATA.
# ET CREATA.
## TOMVS PRIMVS.
QVI EST
## DE SPIRITV SANCTO.

AVCTORE

FR. IOANNE DE PORTVGAL
Epiſcopo Viſenſi de familia
Prædicatorum.

*Duce & magiſtro Angelico Doctore S. Thomæ.*

*Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloria Domini plenum eſt opus eius.*
*Nonnè Dominus fecit ſanctos enarrare omnia mirabilia ſua, quæ confirmauit Dominus omnipotens ſtabilire in gloria ſua. Eccleſ. 42.*

CONIMBRICÆ.

*Ex Officina Didaci Gomez de Loureyro Academiæ Typographi. Anno Domini.*
*1627.*

# LICENTIÆ.

DE mandato Illuſtriſsimi Domini D. Antonij de Matos de Norogna Epiſcopi Heluenſis Inquiſitoris Generalis, perlegi Tomum hunc primum inſtituti operis de Gratia increata, & creata à R.P.Fr.Ioanne de Portugal Theologo præſtantiſsimo; nec ſolum nihil continet ab orthodoxa fidei, aut morum doctrina diſſantaneum, quin potiùs egregiam promeretur laudem, ab eximio in diſcutiendis difficillimis quæſtionibus Auctoris ingenio, ſolido in delectu opinionum iudicio, ſtudioſa in obſeruandis D. Thomæ ſenſis ſolertia, in tuendis dexteritate, copioſa ex Sanctis Patribus, ſcholaſticis Theologis, & Philoſophis eruditione, dilucida ſtyli conformatione. Vt non dubiam vtilitatem opus hoc Theologis, & Metaphyſicis, præſertim verò ſcholæ Thomiſticæ omnium conſultiſsimæ ſtudioſis videatur allaturum. Quare digniſsimum cenſeo, quod typis excuſum longè, latèque vulgetur. Oliſipone in Domo D.Rochi Societatis IESV 2.Octobris.1600.

Franciſcus Pereira.

---

V*Iſta a Informação podeſſe imprimir eſte primeiro Tomo* Inſtituti operis de Gratia increata, & creata*: & depois de Impreſſo torne a eſte Conſelho pera ſe conferir cō o original, & ſe dar liçença pera correr. Em Lisboa 3. de Octubro de 600.*

*Marços Teyxeira.* *Ruy Piris da Veyga.*

---

VIſta a informação, & licença que apreſentão podeſſe imprimir o liuro intitulado *De Gratia increata, & creata*, & depois de impreſſo torne para ſe conferir, & dar licença para correr, & ſem ella não correrà. Em Lisboa 24. de Setembro 627.

O Biſpo Inquiſidor Gèral.

D Ou licença para ſe imprimir eſte Liuro. Lisboa a 2. de Outubro de 627.

Gaſpar do Rego d'Afonſeca.

---

*Q VE ſe poſſa imprimir eſte Liuro, viſtas as licenças do Sancto Officio, & Ordinario que offerece, & depois de impreſſo torne para ſe taxar, & ſem iſſo não correrà. Lisboa 6. de Octubro de 627.*

*D. de Mello. Pimenta de Abreu.*

V ISTO como eſte Liuro eſtà conferido com o original, & com elle concorda, Damos licença que poſſa correr. Lisboa aos 28. de Março de 1628.

Ioão Aluerez Brandão. G. Pereira. D. Ioão da Sylua.
Franciſco Barreto. Fr. Antonio de Souſa.

---

*T Axão eſtes dous volumes em mil & quinhentos reis em papel. à 30. de Março de 628.*

Cabral. Solazar.

---

CENSV-

# CENSVRÆ.

PRIMVM Tomum de Gratia increata à ſapientiſsimo Patre Magiſtro Fr. Ioanne de Portugal compoſitum, qui eſt de SPIRITV SANCTO, iuxta Religionis noſtræ ordinationes ex mandato R̄. adm. P.N. Prouincialis approbandum ſuſcepi: & iudico digniſsimum, qui in lucem prodeat, vtpotè non ſolùm Orthodoxæ doctrinæ conformem, ſed Sanctorum etiam Patrum, præſertim D. Thomæ Doctoris Angelici, ſententijs cohærentem, ſolertiſſimiq́ue ingenij ſingulari diſputatione colluſtratum. Olyſippone 22. Aprilis anni Domini 1617.

Fr. Simon de Luce Magiſter.

---

*SVperiorum iuſſu librum de Gratia increata à Reuerendo admodùm Patre Magiſtro Fratre Ioanne de Portugal editum qua potui diligentia inſpexi, & euolui; nihilque in eo inueni Catholicæ fidei, ſcripturæ ſanctæ, ſacris Concilijs, ſanctis Patribus, probatis Auctoribus, ac veridicæ Sancti Thomæ doctrinæ diſſonum: imò Catholicam veritatem cum Metaphyſica ita innectit, vt abſtructis Metaphyſicæ enucleatis ſententijs fidei veritas dilucidior appareat, & fidei dogmatibus ſtabilita Metaphyſica certior, ac illuſtrior redatur. S. Thomæ profundiſſimam doctrinam mirificè elucidat, veriſsimam oſtendit, ingenioſiſſimè tuetur, ab alieno ſenſu euocat, & ad verum reducit; omniaque piè, ſubtiliter, ac doctè pertractat. Dignum igitur ſentio vt prælo in multorum vtilitatem mandetur. Olyſsipone in Conuentu S. Dominici Anno 1617. Iunij 21.*

*Fr. Antonius de Souſa præſentatus primarius Theologiæ profeſſor.*

---

FR. Didacus Ferreira in Sacra Theologia Magiſter, & totius prouinciæ Portugalliæ Ordinis Prædicatorum Prior Prouincialis, authoritate officij noſtri facultatem concedimus, vt liber de Gratia increata à R. P. Magiſtro Fr. Ioanne de Portugal Concionatore Regio, & Supremi ſacræ Inquiſitionis Concilij deputato compoſitus, & eiuſdem Ordinis grauium Patrum, & Magiſtrorum iudicio, iuxta noſtras ſacras Conſtitutiones, Capitulorumq; generalium decreta examinatus, & approbatus Typis mandetur, & in publicam vtilitatem in lucem prodeat: ſiquidem ſperamus ſcholaſticis omnibus, maximè Angelici Doctoris doctrinæ ſectatoribus, non paruam vtilitatem allaturum. Dat. in noſtro Conuentu S. Dominici Olyſippon. die 18. Octobris anni Domini 1623.

Fr. Didacus Ferreira Prior Prouincialis.

SANCTIS-

# SANCTISSIMO, AC BEATISſimo Domino noſtro VRBANO humilis creatura Epiſcopus Viſenſis dedicat.

*ILLA ipſa ſtudiorum meorum ratio qua mentem adhibui ad Theologicas diſputationes tractandas, propter antiquæ doctrinæ propugnationem omninò ſuaſit, vt ſanctiſſimæ Beatitudini veſtræ ruſticanos & vetuſtos fructus tanquam villicus VRBANO Domino dedicarem. Æquum verò eſt pro zelo Eccleſiaſticæ œconomiæ, à Chriſti Domini Vicario poſtulare vt curet ſanctiſſima Beatitudo veſtra, nouellas opiniones in Eccleſia Dei tot anteà ſæculis non auditas, tanquam arbores folia producentes non ficus Apoſtolica vigilantia, & animaduerſione reſecare. Tu es petra, Domine Beatiſſime, & ſuper hanc petram ædificauit Dominus Eccleſiam ſuam. Tu es fundamentum, ſanctiſſime Domine, ſuper quod ædificatur aurum, argentum, & lapides pretioſi, quæ eſt ſapientia antiquorum, quam ſapiens exquiret iuxta ſacrum oraculum, nouæ omnes opiniones antiquis aduerſæ ſuſpectæ ſunt, &, vt verbis vtar Pauli, ligna ſunt, fœnum, & ſtipula, opus quod certè ardebit ſi veritatis applicetur examinatio. Aſſociat iamdudum ampliſſima ſanctitatis veſtræ generoſitas Chriſtianos principes in pulchritudine pacis, Eccleſiaſticæ reformationis normam ſancit; opus etiam eſt vt ſedulò perſpiceat tanta opinionum nouitate in ſcholas inducta (quod Reſp. Romana in rebus dubijs ac periculoſis conſulendis vſurpabat) nequid Reſp. Chriſtiana capiat detrimenti. Ego verò ad Beatiſſimos pedes hac vna me fiducia abijcio quòd cupiam antiquorum doctrinam, & præcipuè S. Thomæ defendere, ac tueri.*

IOAN-

# IOANNES EPISCOPVS Viſenſis ſapientiſsimo, & illuſtriſsimo Domino Michaeli de Portugal ſobrino dilectiſsimo epiſtolam mittit.

*CVM in opere iſto manumittendo hærerem eo quòd in proœmiali oratione promiſerim de Gratia increata, & creata Tomos quatuor qui vel vnum ægre abſoluerim, nec placeret reuocare promiſſa, neque ſoluere etiam valerem; opus mihi eſſe fidei meæ ſponſore iudicaui. Quod firmius animo ſtatui, cum facile animaduerterem talem me habere promiſsi iuſſorem vt videri poſsim, MICHAEL dilectiſsime, te fretus pollicitus quod tu perſolueres. Ingenium eſt Conimbricæ notum, lucubrationes nocturnas longiores exercitia palam ſcholaſtica prodidere. Nomen militiæ literariæ datum S. Doctori Thomæ, & noſtris Thomiſtis antiquæ à quadringentis annis ſcholæ ſemper ſibi ſimili. Si quid ergo aut naturæ, aut beneuolentiæ ratio apud te valet, precamur vt ea quæ nobis deerunt vita defluente, tua expleat indagatio, & proſequutio quo ſint operis huius noſtri, & intentionis noſtræ de Gratia increata, & creata diſputandi per vicem tuam exitus quam initia præclariores. Vale.*

# Ad ſtudium antiquæ doctrinæ Parænesis procœmialis.

Nō minùs differunt homines animorum varietate, quā corporum cōpoſitione.

ETIAM ſi hominibus naturâ comparatum ſit, vt non minùs differant animorum varietate, quàm corporum compoſitione, & conformatione lineamentorum: eamque in mente diſparitatem inſpiciamus, quam cernimus in vultu, qui ab animo fingitur, & illius imago quędā eſt, atque index: propterea que accidat pleriſq; vt opinione ſententiaque diſsideant: eſt mirabile tamen, quibus naturæ quodam habitu atq; impulſu ſocietas chariſsima eſt, quòd ſponte expetant in rebus iudicandis diſſenſionē. Nam cæteras ſimultates inimicitiasq; exercere, aut partitio rerum vtendarū cogit, aut perſuadet principatus libido, aut honoris ambitio mouet, aut Zelotypia, aut offenſio aliqua impellit. Verùm hoc me cogitantē attentiùs in admirationem adducit, quòd opinione ac ſenſu ab ijs, qui ſunt tum imprimis chari, tum etiam coniuncti, non affectu perturbationeq; commotis, ſed libero voluntatis impulſu ductis, libeat nobis ſæpiùs diſſentire. At verò iſtius non æquæ disiunctionis animorum ſponte diſcordantium primum initium eſſe credimus inopiam, egeſtatemq; ingenij. Cum enim mortalis conditio perfectâ rerum notione, ac peritia genus hominum ſpoliauerit, & de nullis fere rebus ſtabilem ac certam, ſed errantem vagamq; ſententiam teneamus: in iſta latiſsima opinandi licentia, quæ quiſq; placita in animum inducit, quaſi cōgeſtas opes ac diuitias tuetur, & ſeruat, pro quibus pugnaciſsimè, ſi res ferat, confligendum ſit.

1. Cauſa diuerſarum opinionum etiam inter charos.

Cui rei illud proximum, connexumq; eſt, vt nōnulli ea quidem, quæ ipſi ratiocinatione inuenerint, quaſi inuentione acquiſierint, ſuas eſſe diuitias putent, animiq; ornamenta: quorum verò diſciplinam ab alijs perceptam habeant, arbitrentur eſſe aliena, veluti mendicitatem perdiſcendo patiantur. Vbi ſe aperit campus veniendi in diſcrimen ampliſsimus, cum eſt de rebus à nobis inuentis ineunda decertatio. Verùm cogitandum planè eſt quanto errore ij capiantur, qui ſe ipſos volunt proprijs opinionibus ac ſingularibus quaſi locupletare, communibus ſententijs, vt non ſuis, repudiatis: ſiquidem non opinatio rerum, aut coniectura, ſed ſenſus ipſe veritatis mentem ornat, & illuſtrat. Nam etſi cætera liceret opinari, hoc vel vnum cōſtat, & citra diſceptationem certū eſt, vehementer eos errare, qui ornamenta, ac decora ſcientiarum in proprijs ſenſis reponunt: hoc enim

2. Cauſa.

Taxantur, qui cōmunes ſententias, ſolùm vt non ſuas, repudiant.

dum ſinguli faciunt diſsidentibus ſententijs, neceſſe eſt pleroſq; eludi, & paucos tenere veritatem, plurimos verò vmbram eius conſequi amplectiq; , hoc ipſo captos, quòd ſibi credunt deceptis. Ecquid autẽ magis à veritate ipſa alienum eſt, quàm vt rerum intelligentia, quæ in plurimis conſentientibus alitur, & conualeſcit, non credatur eſſe ſingulorum? Ea enim bona ſunt animorum, quæ poſsint haberi ſimul à multis, poſsiderique à ſingulis: quæ neque abalienentur communicata, neque vſu exhauriantur, neque omnino fiant participatione anguſta, ſed multo vberiùs per ſocietatem plurimorum illuſtrentur, & augeantur. Enim verò, ſi in ciuili hominum communione, vbi ſunt bona partitè diſtributa, tantùm emolumenti eſt, tam ingens lucrum, & acceſſio, vt vniuerſi ex ſe ſe inuicem vſum multum capiant, & cernatur in republica hominum, ſicut in corpore membrorum, vtilitas, & opportunitas admirabilis; quanto largiores fructus afferet ſapientium conſociatio in bonis ijs, quorum participatione nihil detrahitur; qui non cuiuſque ciuitatis populares, aut vnius mundi partis municipes, ſed totius orbis terrarum ciues conſcripti ſunt, ex hominum vniuerſitate, totoque genere facturi lucrum, quod æſtimare nemo poſsit? Igitur ij, qui procul à commercio aliorum, doctrinæ duces aut comites nullos habere volunt, vt vlli non ſint, qui eorum gloriam videantur participãdo minuere: dum ſe ipſos priuant publicis vtilitatibus, propter naturæ inopiam multis indigeant opus eſt, quæ niſi ab alijs mutuentur, illorum tenuiſsima doctrina ſit oportet. Addiſcendi verò ſtudioſi, qui eruditorum ſententias in ſuis ponunt, & numerant, affluentiſsima rerum ſcitarum copia abundant. Nec verò res tam eximiæ, contemplationeque digniſsimæ, etiamſi à priſcis ſapientibus ita apertæ ſint & factæ perſpicuæ, vt ingenio vel populari potuerint ferè ab omnibus percipi, propter communionem vulgarem viles, abiectæque ducendæ ſunt: cum iubar omnium mentibus nitidiſsimum, ſplendoremque incutiant. Eſt autem minimè æquum gloriam iſtam ſciendi res tam præclaras, cum præceptoribus aut alijs hominibus nolle nos communicare. Nam ea ipſa cum Deo Optimo, formiſque cœleſtibus habemus communia. Quid ergo Deo ipſi magis iniurium? quid à nobis indignius, aut inſipientius poteſt admitti? quid infelicius obuenire, quã vt diuina munera, quæ Deus, ſibi cum eſſent propria, mortalibus impertiuit, quaſi vulgaria reſpuamus, nec ea cum hominibus velimus habere coniuncta, quæ Deus cum ſemetipſo voluit eſſe homini communicata? Quòd ſi diuulgatio non facit vilem ſapientiam, ſi participatio iſta, & coniunctio qua Deo etiam aſſociamur, nihil derogat, ſed

amplif-

amplificat; nullum profectò conſilium eſt, nulla ratio, vt homines ſtudeant priuatis opinionibus, communibus autem opinionibus aduerſentur. Iam verò illa inexplebilis cupiditas inueniendi res nouas, vanaque illa exiſtimatio dicentium ſua, & non ſua ( ſua quidem, quæ excogitauerint; non ſua, quæ didicerint ) altera atque altera, quàm cæca eſt, quàm inuidioſa, quàm praua conſiliatrix? Dicat poeta carmina ſua & non ſua, quia quæ iſte confecit, alius nemo fecit: ſed rerum cognitionem, quã à præceptoribus hauſtã æquè cum illis participamus, quare non appellemus & noſtram? Hi ſanè videntur ignorare noſtras eſſe domos, quas manu nõ poſuimus, neque arte aut ingenio deſcripſimus. Neque verò aurum, argentumque cælamus, quibus putamur ditiſsimi: & illa bona libentèr noſtra dicimus quæ veniunt ad nos iure hæreditario. Et illa quidem artificio facta, longè ſatiùs eorum exiſtimanda ſũt, quorum artis & ſolertiæ monimenta exiſtunt, quàm horum quibus in vſu & poteſtate ſunt. Quas verò hæreditates à parentibus traditas liberi adeunt, meritò quoque maiorum bona ſunt nuncupanda, à quibus & ſtudio & virtute comparata, per otium ac deſidiam, nec non aliquãdo cum ignauiæ dedecore à poſteris retinentur: atq; omninò, quæ extra nos ſunt, par eſt æſtimare aliena, quæ neque vel vſu tenemus, curſu temporis fugiẽtia, fruſtra conati tenere ea à quibus tenemur, vt S. Auguſtinus dixit.

*Auguſt.*

Notitiam verò intelligentiamque rerum, cum ſit quædam animi informatio, mentiſque habitus, hominis erit nõ ſani, quòd putet rem eſſe alienam, tametſi priſcorum Philoſophorum ingenio ac ſtudio tradita, quaſi iure hæreditario ad nos venerit.

Non eſt putãdũ quid alienũ à nobis ſciẽtia à priſcis accepta.

Neque enim aliena credenda ſunt, quibus mens noſtra pulcherrimè expreſſa eſt, cuius effigies tolli non poteſt, aut corrumpi. Quamquam igitur ipſa rerum indagatio, atque inuentio vmbram quãdam gloriæ & excellentiæ præ ſe ferat, cuius cupiditas non decet ſapiẽtem, non idcirco peritiores ſũt, aut ſcientiâ magis præſtant inuẽtores, quàm comprobatores veritatis: cum in vtriſque ſit par illius, æquaque communicatio. Inſignis enim eſt ſententia Beati Proſperi, non literis ſed memoriâ ſempiternâ exprimenda.

*S. Proſper in præfatione libr. 2. de vita cõtẽpl.*

*Veritas vndecunque claruerit, non eſt humano ingenio deputanda, ſed Deo; nec aliquorum debet credi, ſed omnium: quæ per ſe tanta, & talis eſt, vt non ſit tunc magna ſi eam magni docuerint; ſed potius ipſa magnos faciat à quibus doceri, aut diſci potuerit.* Non ergo vulgaris eſt ſapientia, quæ de vulgo homines omni honore inſignit: non humilis eſt, quæ parua ingenia, dũ capitur, amplificat: non reſtricta eſt, neque anguſta, quæ nõ eſt aliquorum, ſed omnium. Cuius quidem laudem dignitatemque non eſſe in rerum inueſtigatione poſitam, vehemens mihi ratio perſuadet, & lu-

 culentiſ-

culentiſsimum argumentum. Experimur quippe ſæpius, nos quædã meditando excogitare, quæ fuerant longè ante ab alijs cõperta: quare ea etiã quæ nos didicimus, potuiſsemus fortè prius cogitando inuenire. Credo igitur rerum inuentores nõ ſagacitate & ingenio, ſed ætate duntaxat, ſeculiſque antecedere: quæ enim alijs primi ediderunt, poſſe & à poſteris, niſi comperta eſſent, exquiri: nihilque ſubeſſe gloriæ æſtimo in rebus excogitandis, niſi vt ea eſſe ingenia iudicentur, quæ valeãt ad inueſtigandam veritatem. Et ſicut in ſolis radijs cernimus, quibus quædam propiora ſunt, alia diſtant, non media aliquando ſed extrema propter læuitatem, quia magis expolita ſunt, fulgentiſsimo ſplendore collucere: ita effuſo in nos Deitatis lumine, & quaſi radijs in mentes vniuerſas coniectis, ſæpè accidit, vt poſtremi hominũ, qui ab antiquioribus natu audierunt, maiori fulgore illuſtrentur, & niteant: eò quòd propter ingenij aciem expolitam, notitiam per alios magiſtros exceptam, lõgè reddiderint clariorem. Quamobrem non omnis laus ſapientiæ eſt in excogitatione rerũ, ſed in optima intelligendi ratione collocata. Quâ in re iuuat me ſummopere Philoſophos, viros prophanos, meminiſſe, honoris famæq; cupidiſsimos, doctrinam antiquorũ ſũmo ſtudio conquirentes, quos Hieron. ait peragraſſe terrarum orbem, & quaſi fugientes literas fuiſſe inſequutos, quia mallebant aliena cũ verecundia diſcere, quã ſua impudenter proferre. Quibus non ſolùm ignoſcẽdũ eſt, ſed gloriẽ etiam arrogandũ, quòd cum rubore auſcultãtes, hoc tamen agere dignabãntur: putabantque ſe verecundiæ fines tranſituros, ſi aliorum contemptâ diſciplinâ, ſua inuenta docẽdo proponerent. Nam & in hoc etiã Pindaro nõn immeritò conſentiebant dicenti, docere ei facilius eſſe, qui didicit. Erant autem eorum plures natione Græci, vt narrat S. Clemens Alexandrinus, ſcilicèt omni diſciplinæ ornatu cultuque perpoliti, qui barbaros homines, vt erudirentur, adibant. Plato verò prophanorum Theologus, qui ſapientiſsimè ſcripta memoriæ prodidit, cũ omninò prouidendum eſſe cenſeret, ne verbũ vel vnũ excideret, cuius poſſet pœnitere, aut pudere ſapientem: optimè docuit hanc eſſe cautionem, *Diſcere, non ſcribere*. Eo etenim à temeritatis ſaltẽ audaciæque, vel ſuſpicione vel vitio nos ipſos liberabimus, ſi ſapientũ ſuffragijs freti, manũ ad ſcribẽdum adhibeamus. Qua de re videtur mihi ſapienter iudicaſſe Antiquus Zeno Heſiodi ſententiã inuertens, qui cum primo loco ſapientium reponeret eum qui per ſe ipſum ſapiens eſt, collocaretque penes iſtum eum, qui ſapienti obtemperaret: Zenonis tamen ſententia fuit, illum qui paret recta monenti, primum gradum debere obtinere. Inſinuauit profectò ſuſpectum, & iure inuiſum

*S. Hieron.*

*Pindarus.*

*S. Cle. Alex*

*Plato*

*Zeno.*

eſſe inter homines nomen ſapientis, qui per ſe ipſum ſapiens eſt: magiſque ad hoc incitandum eſſe ſapientem vt alios conſectetur, quàm vt ſe ipſum velit præſtare alijs magiſtrum. Animi enim docilitas innatæ ſapientiæ veſtigium eſt, à natura expreſſum, licetque hominibus ductu ipſo naturę promptis eſſe, & alacribus ad diſciplinam capeſcendam. Contra verò qui non ad quęque capienda, ſed potius ad inueſtiganda ardentes ſunt, & flagrant ſtudio rerum nouarum, è veſtigio decedunt à curriculo ſapientię, quaquanerſus licenter errantes & vagi, qui nihil certè minùs appellari poſsint, quàm ſcientes. Scientia quippe dicta à Gręcis eſt επιστήμη, notatione nominis ductâ ab ſtatione & quiete; quoniam acquiſitâ ſcientiâ, agitatio animi vt in portu nauis conſiſtit, & ceſſat. Quibus verò noua placent, nullibi conſiſtendum tádem eſt, nullo in veſtigio ſtandum. Nam vt diuinus ille Chryſoſt. pulchrè dicit. *Qui nouitatibus ſtudent, nuſquam erroris finem inuenient; ea eſt enim erroris vis vt ſiſti nequeat.* Non ergo ſcientes, hoc eſt, acquieſcentes; ſed inſcientes potius nominemus, hoc eſt, inquietos, agitatos, & fluctuantes: quales mecum cogito Sextos illos, & Pyrrhones principes fabulæ Scepticorum, (Auguſtinus Academicos dicit) qui nihil ſciri à mortalibus dictitabant. Nam cum præ ingenio volubili, noua ſemper conſectarentur, nihil firmum aut conſtans comperiebant, quod ſciri ab aliquo poſſent cõfiteri. In eos autem vehementiſsimè inuehitur acermi ingenij Nazianzenus, eò quòd ſcita & conſtituta oppugnantes, incertaque omnia & dubia relinquentes, ampliſsimum campum aperirent nouis diſputationibus agitandis, opinionibuſque excogitãdis, ac nouandis. Illi igitur ſcientiam quidem tollẽtes de medio, omnia opinionibus replebant varijs & inconſtantibus. Iſti autem qui nouas vndique opiniones conuehunt, quid aliud agunt, quàm vt certa ſancitaq; reſcindant, & rebus ſcitiſsimis denſas tenebras offundãt? Meritò igitur, vrbaneque illi Græca voce nominabantur inhibentes, & impedientes, qui rebus ſciendis impedimento eſſent: neq; enim illi alliquid poterant ſcire, credentes nihil ſciri: nec alios ſcire quippiam ſinebãt, vanâ ſuâ opinione nihil ſciri obtundentes. Si igitur in vſu ſcientiarum rata quædam, & ſtabilia poni, firmarique oportet, quaſi in ædificio fundamentum, quibus cætera fulciantur, & hæreant; ecquis erit tantâ procacitate & audaciâ, qui antiqua deturbans, propria ſenſa conſtituat, nulla poſthac diuturnitate temporum credens eſſe ruitura? Profectò aut nihil ſciri opus eſt, ſed omnia in opinione hominum, agitationeque, & motu ſempiterno verſari; aut ea potius certa haberi, quæ multis temporibus non collapſa, ſed hominum ſum-

Qui non ad ea pienda quæq; ſed ad inueſtiganda ardẽtes ſunt, non poſſunt ſcientes appellari,

*S. Chryſoſt.*

*S. Auguſt. 1. retract. 1. & 19. de ciuit. 1.*

*Nazianz.*

mo conſenſu firmata comperimus. Rectè igitur in Republica bene instituta, qui noua inauditaque afferrent, ſcitum erat, vt vrbe pellerentur; quia nouitatis auctores, quaſi hoſtes & oppreſſores, qui Reipublicæ ruinam molirentur, â muris ciuitatis arcendos ac detrudendos eſſe iudicabant. Quemadmodum autem inexpiabilem fraudem in Rempublicam concipiunt, qui conflant falſum aurum, & imitatione ſimulatum; ſic etiam qui nouas & adulterinas diſciplinas prę honoris ambitione inuehunt, eodē ſcelere impietatis obligātur. Quāobrē non immeritò Plato ſapientiſsimus gloriā Gręcię Homerum laneâ coronâ donatū, cū cęteris tamē poetis garrulis ex ciuitate ſua, quā meditatur, exturbat. Quoniā etiamſi hiſce in carminib⁹ quędam ſpecies ſagacitatis & ſolertię prębeatur, qua homines ingenij laudem nanciſci cupiunt: varias tamen & excogitatas poeſis inuentiones iudicauit non poſſe non eſſe reipublicæ pernicioſas. Quòd ſi columen Græciæ Homerus, in quem illa vnum omnem laudem coniecit ingenij, vel ipſo Platone iudice dignus corona, donatuſque lanea (quod erat regium) è ciuitate benè morigerata exterminatur propter cōmentum, nouitatemque ſuæ artis: quanto cum dedecore eſſent terrarum orbis exilio puniendi, qui in ſcientijs veriſsimis futiles ſcientias veluti per ſomnium excogitant & quaſi fabulas narrant, mentibus imperitorū propter nouitatis cupiditatem penitus infigendas. At verò à Chriſtiano viro & ſapiente quantum crimen ſuſcipiatur in rebus innouandis, quis queat dicendo complecti? Teſtis eſt veriſsimus Nazianz. Epiſcopus, ætate illa florentiſsima cum Eccleſia adoleſceret, ioculares & ridiculos fuiſſe habitos, qui de Deo nouum quippiam, vel terioſū, aut loqui, aut auribus excipere auderēt; & ſolitos iſtos eſſe ad eorū numerum adſcribi, qui inuerſione lapidum aſpectum ludificāt, aut petulanter ſaltatorium orbem verſant. Cū enim tunc Eccleſia in ipſo adoleſcentię ſuę flore, ſanguine martyrū imbuta creſceret, & vndiq; armis hoſtium infeſtaretur, nihil erat reſiduum licitis etiā quæſtionibusquas nos per otium, etiāſi curioſiores ſint, forſan licentiùs tractamus. Quòd ſi nouitas vel minima aut curioſitas vitio erat, quâ notā ſceleris & audaciæ inſigniendos ea ætate eos eſſe credimus, qui vt noua fallaciter ſupponerent, tollerent antiqua? Neque tamen hoc ego tantū facinus omnibus adſcribam, qui rebus nouis ſtudent; vt velint homines ad fallaciā deducere, aut impellere: ſed pleriſq; eorū hoc credo euenire, vt fraudi ſibi ipſis ſint, dum vetuſta repudiant, omniaque nouant & immutant. Cōmunis quippe ratio cōcipit quoddam lumen naturæ ad iudicia veri aſſequenda, ita vt id quòd omnes ſentiunt, falſum omninò eſſe non

*Plato*

Quātū crimē ſuſcipiatur à Chriſtiano ſapiente in reb⁹ innouandis.

*S. Nazianz.*

poſsit.

poſsit. Quare opiniones illæ, quas vetuſtas cõmendat, aſſentientibus iiſdem placitis tot viris celeberrimis, quos plurima ſæcula ac ætates pepererunt, quaſi naturâ teſte firmatæ ſunt. Quibus fit vt rerum nouarũ ſtudioſi abſint à vero, quia ab opinione ac ſenſu antiquorum alienati ſunt: nam & in hoc quadrat illa ſententia Magni Dionyſij, lucem dicẽtis congregare quæcũq; , tenebras verò diſſociare. Quæ enim luce fruuntur, amica conglutinataque ſunt: diſsimilia verò ſunt & diſcrepãtia, quæ iacent in tenebris: eſtq; in veris conuenientia, in falſitate diſsidiũ. Quare nota quædam eſt, ſpecimenq; veritatis, quòd omnes aut pleriq; vno conſenſu copulẽtur; ſignum autem falſi, certiſsimumq; indicium eſt, quod differant, ac diſſentiant. At verò à ſapientibus diſſentire argumentum eſſe inſipientiæ, olim Plato pronunciauit. Ergo cum à Domino ſua ſponſa viſendi illius auidiſsima, nouam quandam viam & rationem poſtularet veniendi ad accubationem meridianam, ne poſt greges ſodalium aberraret: haud dubium eſt quin beneuolam acceperit reſpõſionem. *Abi*, inquit, *poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*. Illud enim ipſum, quod ſponſa cœleſtis recuſabat ne vagari cogeretur, greges ſodalium inſequendo; iuſſu, & exhortatione Domini ſui obtinet, greges inſequuta, à queis, ſi deflecteret, vagaretur & aberraret. Monet igitur cõſultiſsimè, periculo plenum eſſe inuſitatas vias indagare, tritas relinquere. Quapropter, vt is mente motus & amens foret, qui in animum induceret ab omni calle noto, & itinere vſitato veſtigia deflectere, quia eo ipſo decreto ſuo viam ſibi intercluderet pergendi quo cuperet: ſic fatuitas quædam animi eſt, ea quæ ſũt ab alijs agnita poſt habendo, inopinata ſemper quærere, & inaudita cõſectari; ſi veritas quidem, non opinio rerum eſt, quò pergimus. Aut ſanè, quòd his eſt proximum, opinemur falſa, eò quòd quæ vera ſunt, à priſcis viris vulgata, propter vetuſtatem & copiam viliora ſunt. Quis verò cogitando non commouebitur? Ecquis ſine metu aliquo proſpiciet, curſus iſte concitatus in nouas opiniones, quo vergat? quo tãdem impetus iſte noua opinandi erumpat? eo ſcilicèt, vt homo mortalis auctor princepſq; ſapientiæ, & prædicari ſtudeat & nominari. At verò iſthæc nominis cõmemoratio celebritasque, non niſi cum ſumma arrogantiâ expetitur, qua nihil eſt à vera ſapientia magis alienum, nihilq; illi hoſtilius. Omnes enim fatentur eſſe ſapientiam cum animi moderatione ſempiterno fædere copulatam. Cuius rei ſignificatio quędam eſt in ænigmate Pythagorico, *Abſtinendum à fabis*: iuxta interpretationẽ Tullianam, quia inflant: videlicet ne mentem opinione inflatam geramus. Quid enim aliud fama eſt, & diſſeminatus rumor, niſi ventus

*S. Dionyſ.*

*Plato.*

*Cantic. 1.*

Quò pergat impetus noua opinandi.

Quã aliena ſit à vera ſapientia arrogantia

*Pythagoras*

*Tullius.*



popula-

populatis, quo ſpiritus arrogantes anhelant & turgent? Quamobrem non inſuaue argumentum credo in fabula contineri, quòd cum Minerua tibiam inflans intuita ſe eſſet in aqua limpidiſsima, quia deformis eſſet ore turgente, tibiam perfractã abiecerit. Nam & ſapientibus Mineruæ aſſeclis, ſi liceret inflationem mentis, quaſi in ſpeculo conſpicari, ſtatim vt notam illam cupiditatis famæ delerent, nouas ſuas opiniones odio haberent, â ſeque ipſis propellerent. Rectè igitur à Philo-

*Cleans.* ſopho Cleante ſcriptum eſt, viro ſapienti non eſſe ſpectãdam famam, cuius cupiditas macula eſt in animo omni ſtudio abſtergenda. In ean-

*Plato. S.Hieron.* dem verò ſententiam cũ Platone Hieronymus iuiſſe credendus eſt, cũ Philoſophum, quem ille hominem cœli appellauit, iſte gloriæ animal dicit, & popularis auræ vile mancipium. Nam Plato quidem veri Philoſophi gloriam prædicauit, quem quaſi ciuem cœlo adſcripſit; Hieronymus verò Philoſophi vel maximum vitium in gloriæ cupiditate eſſe cenſuit. Ego verò in viro ſapiente modeſtiam, & frugalitatem requiro, non ſolùm, vt vitæ probitas eruditionis ſit comes & ſocia; ſed vel etiam ob eam cauſam, vt ratio exquirendi veritatem ab animi moderatione opem, & præſidium habeat. Videmus enim ingenia arrogantia, & ſeſe efferentia, indomita eſſe, & impotentia; qui homines neque ad rerum momenta ponderanda æquâ lance vti ſuſtineant, neque in locis arduis & periculoſis ſubſiſtere nouerint, ſed temerè effrænatèque ruant præcipites. Quod fortè voluit ſignificare famigeratus

*Bion.* ille Bion, arrogãtiam (inquiens) eſſe profectus obſtaculum. Vir autẽ frugi, ſuique cognoſcens & memor, ſedato animo, & tranquillo cũctis per otium, & quietem conſideratis attentiùs, & ab omni contumacia ſemper abhorrens, animi quâdam moderatione, vt frænis equi, in ipſo curſu diſputationis inhibetur, & ne temere procedat, retardatur; vt oraculum veritate ipſa perſpecta comprobetur, quod eſt in prouerbijs.

*Prouerb.11* *Vbi eſt humilitas, ibi & ſapientia.* Sed aliud eſt, quod vniuerſi mali caput ducimus. Certum eſt enim cum nobis quærimus nomen ſapientium, & ad rerũ notiones conquirendas inflammati auiditate gloriæ rapimur, cupidiùs longèque ſtudioſiùs proprias nos ſententias tueri & colere, quibus videmur ornatiſsimi, quàm hominem auaritiæ ſeruientẽ opes aurumque aſſeruare: apparet quippe in opinionum poſſeſsione genus quoddam auiditatis, nouumque auaritię inuentum, nõ illa quidem rerum corporearum appetentia, quę ſenſu trahitur, parcens vſui, tenaxq́, rerum, quæ indiuitiarum contemplatione oblectatur; ſed diuerſa quædam cupiditas non minùs lubrica & præceps, propria mentis ſenſa retinẽdi. Auaritia autem, quâ nullum vitium eſt tetrius, ac pene infinitis

*Aliud vniuerſi mali caput: nẽpe auaritia quædam propria mentis ſenſa retinẽdi.*

malis

malis implicatum, opinatio quædam eſt vehemens de pecunia, inquit Cicero, qua ſcilicet quiſq; omnia ſibi bona credit vehemẽtiſsimé ſimul cum pecunia eſſe recondita. Nihil autem eſt in nobis opinione ipſa vehementius ad rem omnem aggrediendam, cũ rerum potiùs fama, quã vera æſtimatione ducamur. Quamobrẽ, cum homo auidus & ſordidus non in diuitijs fruendis voluptate, ſed in contemplandis, dũ ſe diuitem reputat, opinionis cuiuſdam oblectamento afficitur (quod Gregorius Pontifex obſeruauit) illa opinandi vehementia ad nullum nõ malum incitatur. Quare iure optimo auari opinoſi dicẽdi ſunt, hoc eſt, opinionis ſectatores, & magni opinatores, quia omnia bona in ſola opinione poſita habeant. Sunt ergo & ij, quos in ſcientijs maximos opinatores experimur, cõmunicato nomine auari, hoc eſt, opinionum ſuarũ cupidiſsimi. Eſt igitur & in defendendis opinionibus auaritia quædã mentis, non vt ſua non cõmunicent, quę potius ſtudioſiſsimè euulgant, ſed ne de eis verbum vnum detrahi permittant, aut mutari, aut ad auctorẽ anteriorẽ referri. In quos pulchrè dixit Auguſt. *Parua ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt.* Rectè equidẽ Ariſt. ſenes auaros ideo iudicauit, quia ſibi omnia defutura credant, quos pæne iam vita deficiat. Ea verò ingenia, quæ rerum ſcitarum anguſtiâ premuntur, nihil aut parũ ſibi ſupereſſe credunt, ſi aliquid ex opinatis amiſerint, quaſi ingentem doctrinæ ſuæ faciant iacturam: parua enim ingenia ſunt, teſte Auguſt. id eſt exilia, egena, & anguſta. Itaque fit, vt hæc proteruia & contumacia ſua placita propugnandi ad ingenij inopiam, quaſi ad fontẽ & originem recurrat, vt initio dicendi meditabamur. Magna autem & præclara ingenia non parcè, non reſtrictè ſuas opiniones retinent; ſed facilè cedunt & propriam ſententiam cum aliena comutãt, apud Iacobũ laudem illã promeriti, ſcilicèt, *Quæ de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt: deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens*: quæ opinandi ingenua libertas (vt ita dixerim) niſi animis eruditorũ inſita ſit, atq; hæreat, praua altera cupiditas dominetur neceſſe eſt, non rerum vtendarum ſtudio, ſed ſuas tuendi ſententias. Age verò ſenſu, molitioneq; animi metire, quanto erit malum hoc, quàm illud pernicioſius, quanto incitatior mentis impulſus, quanto turbulentior agitatio, quâ non opinione ad diuitias ſeruandas, ſed elatione quâdam animi, & intolerantia ad ſuam opinionem tuendam, ac vindicandam feruntur. Immoderata eſt enim omnis voluntatum ſuſceptarũ pertinacia (inquit Sãctus Hilarius) & indeflexo motu aduerſantium ſtudium perſiſtit, vbi non rationi voluntas ſubijcitur, nec ſtudium doctrinæ impenditur; ſed his, quæ volumus rationem conquirimus, & his, quæ ſtudemus, doctri

*Cicero.*

*S. Gregor.*

Auaritia in defẽdẽdis opinionibus.

*S. Auguſt.*

*Ariſtotel.*

*S. Auguſt.*

Magna & pręclara ingenia facilè cedunt.

*Iacobi 3.*

*S. Hilar.*

nam coaptamus; iamque nominis potius quàm naturæ erit doctrina quæ fingitur, & non iam veri manebit ratio, ſed placiti. Hæc eſt autem contentionis pernicies, quæ Eccleſiam Dei ſæpius pene vaſtauit, lateq; populata eſt: quòd cum homo brutis animantibus ratione præcellat, proprias opiniones quaſi maiores diuitias, locupletioraque ornamenta tenet, ac defendit contra veritatis vindices, & aſſertores. Quod loco eodem S. Hilarius ait: Inter veri aſſertionem, & placiti defenſionem pertinax pugna eſt, dum ſe & veritas tenet, & tuetur voluntas. Nam vt olim quoque Empedocles dixit, Prauis hoc eſt familiare, velle, quæ ſunt vera vincere, ex eo quòd non credunt: nolunt enim vera eſſe, quibus fidem adhibere recuſant. Quamobrem ab ijs qui veritati aduerſãtur, ſummopere efflagitandum eſt, vt ſinant ſe à veritate vinci. Superet veritas volẽtem (obteſtatur Auguſtinus) nam & inuitũ ſuperabit. Diuina quippe vis quędam ac poteſtas eſt veritatis, cui nũquam ratio potuit eſſe inimica; niſi obſiſtat voluntas, niſi occurrat nominis glorięq; ambitio, niſi innata cum opinione ſcientiæ obteſtatio peruicaciaque repugnet. Quod alijs quoque verbis Auguſtinus, Nõ enim, inquit bonum eſt hominis, hominem vincere; ſed bonum eſt homini, vt eum veritas vincat volentem, quia malum eſt homini vt eum veritas vincat inuitum. Ego verò ab iſtorum hominum ſententia vel maximè idcirco deterrerer, quòd nihil ferè ab inſipiente credam dici poſſe ſapiẽter. Hi autem qui ſibi modò ſuperbia innixis omnia putant licuiſſe opinari, ne hactenus quidẽ ſapientes ſunt (inquit Nazianzenus) vt inſcitiam ſuam cognitam habeant: atque iſtis quidem qui ſibi ſapientes eſſe videntur, aurem vellit, & admonet diuinum oraculum, *Ne ſis ſapiens apud temetipſum.* Et alibi: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris*: cum vel ipſa opinio de ſe animo imbibita, cum inanis gloriæ cupiditate, probet non eſſe ſapientẽ. Quibus illud accidit iure optimo quod Quintilianus monuit, vt dum imperitis periti videri volunt, peritis imperiti videantur. Nunquam enim nomen & gloriam ſapientię apud ſapientes poterit obtinere, qui auram popularem captat, & famæ ſtudio nimiùm indulget. Abſit tamen à nobis tãtum hoc inuidię & audaciæ, vt videamur credere Theologorum celebrium quempiam ſuperbo eſſe animo, aut verò pro inſolentia, & petulantia decertare, velleque poterue in Republica literaria tumultum, ſeditionemque facere. Sed id profectò maximè cupio, ex animoque opto, & ſi quod mihi eſt, aut precandi ius, aut etiam poſtulãdi, precor & obteſtor, vt ſtudium iſtud rerum nouandarum deferueſcat, & antiquorum doctrinæ honor habeatur, deferaturque auctoritas, & fides. Audiamus proceres illos Reipublicæ Chriſtianę,

*De pernicie cõtentionis.*

*S. Hilar.*

*Empedocles*

*S. Auguſt.*

*Idem.*

*Naz. orat. 1.*

*Prouerb. 3. num. 7.*

*Iſai. 5. n. 21.*

*Quintilian.*

*Precatur vt ſtudium rerũ nouãdarũ deferueſcat.*

Chriſtianæ: & primò magnum illum ex Latinis Tertullianum, *Omne*, inquit, *quod nouum eſt, ſuſpectum eſt.* Obſeruemus columen Eccleſiæ Auguſt. dicētē ſe quidem conuincere, quę falſa ſunt, quæ verò noua cauere; ita vt etſi non facilè refutentur, nihilominus caueātur. Legamus Bernardum aſſerētem, eſſe præſumptionis filiam nouitatem, matrem temeritatis. Siſtatur nobis Baſilius teſtis dignisſimus, quod vetuſtate excellit venerandum eſſe. Fidem præbeamus Beatisſimo Pontifici Zozimo, non modò poſtulanti, ſed iure ſuo iubenti, vt apud nos incōuulſis radicibus viuat antiquitas. Grauisſimè autem à Patribus Nicenę Synodi 2. iudicatum cenſumque eſt magnam ſecuritatē ſe ipſos in ea re collocare, quòd nulla recentia inuenta ad rem probandam inquirerent. Poſt hæc verò perge, & audi diuinam vocem excitantem: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui*: &, *Ne te prætereat narratio ſeniorum*: &, *Sapientiā antiquorum exquiret ſapiens*. Cur igitur nō culpemus, quare non vituperemus nouitatē, quæ ſuſpicionis plena eſt, cuius cautio diligens adhibenda, quæ eſt ex mētis elatione procreata, parit autem temeritatem, quæ de antiquorum dignitate detrahit, quæ antiquitatem ipſam altisſimis defixam radicibus conuellit, quæ terminos Patrum, auctoritatem ſeniorum, ſapientiam antiquorum proterit & diſturbat? Age verò ſingula tecū quære, & attento animo cogitationeque verſa. Quid tàm eſt viro Theologo indecorum, quàm vt ſi nat, ſaltem propter nouitatem, ſuſpectum ſe eſſe de rebus diuinis diſſerētem? quàm vt patiatur alios de eius dictis ſollicitos eſſe? quā vt metum inijciat ſapientibus, religionemque incutiat nouandarum rerum periculo deterritis? Quin faciat potius, vt ne tenuisſimus ſcrupulus in ſcriptis eius reſideat. Iam verò cauendumne erit, prouidendumque, & declinandum à præceptore Theologo? Ipſi fontes doctrinę quos percipimus, quos aſſenſione animi tutò ſorbemus, metuendi ſunt? At verò timendum profectò eſt in doctrina fidei non ſolùm ab hominibus flagitioſis & perditis, ne illorum ductu in errorem incidamus, ſed curandum etiam (quod ſine crimine vllo poterit prouenire) ne dum viri integerrimi & probisſimi noua proponunt, illorum opinionibus capti prolabamur ad falſa. Tantâ enim ſimilitudine veris falſa adiuncta ſunt, vt in ijs ſæpiùs non compareat certa nota ad iudicandum. Ea autem eſt optima ratio conſilij, vt omninò caueamus noua. Et quidem ea quæ dicimus multorum iam olim iudicio probata, habent ſecum perſuadendi rationem: quibus aſſenſiſſe laudi potius quam vitio tribuendum ſit. Nihil verò poſſumus aut afferre, aut cauſari, cum falſa ſuademus, quæ non didicimus; quin ad infelicitatem accedat

*Tertul.*
*S. Auguſt. 3. contra Iulian. cap. 3.*
*S. Bernard.*
*S. Baſilius.*
*Zozim.*
*Syn. Nic. 2.*
*Prouerb. 22*
*Eccleſ. 8. & 39.*
Nihil poſſum' cauſari, cū falſa ſuademus.

cedat hoccriminis, quod à nobis ipſis ſumus decepti, noua dogmata inuehentes. Illa verò erit valde iniqua defenſio, ſi vlli ſe dicant ſententiam vetuſtate comprobatam refellere apto argumento & ratione validiſsimâ. Viro enim Theologo non tàm rationis in diſputando, quàm auctoritatis momenta quærenda ſunt: quoniã, tametſi in ijs, quæ mentis volutatione poſſunt adiri, ſapienter ſibi Plato propoſuit nemini niſi rationi credẽdum: eæ tamen res, quæ ſuperant rationem, quæ nequeunt arte vel ſolertiâ inueniri, à Sanctis Patribus Eccleſiæ Magiſtris accepta, cũ ſumma fide ſeruanda ſunt: vt in ijs auctoritas, non ratio quæratur. Et Paulus Timotheo depoſitum doctrinæ commendat. Commendat (inquit Chriſoſt,) quo ſignificet diligẽtiam cuſtodiæ, nihilq; noſtrum nos inferre, ſed poſita ſeruare. Nobis autem in religionis myſterijs edocendis non ratio, ſed fides commiſſa eſt. Idcirco enim in triumpho fidei cum ſumma gloria captiui ducimur, eamque ob cauſam noſmetipſos negamus, quia rationem, quâ vnâ homines ſumus, propter ſeruitutem fidei, habemus in poteſtate Eccleſiæ. Cogitemus ergo ſeruos nos eſſe noſtro arbitrio carentes, & rationis perpeti obſeruantiſsimam ſeruitutem. Probè quippe Nazianzenus ſuâ ætate Theologus nuncupatus, litteras ſe idcirco dixit ſummopere æſtimare, vt haberet, quibus Chriſtum anteponeret, & à queis hoc poſſet capere emolumenti, vt eas pro Chriſto aſpernaretur. Perdiſcendum igitur nobis iam pridem fuit, non argumentis propelli, ſed religione & metu à doctrinis varijs & peregrinis cohiberi. Reputemus nobiſcum quòd ea, quæ antè nos ſunt inuenimus cum labore, ita vt ſit res ad oculum in proſpectu, & deliteat rei perſpectæ cauſa, acumẽque rationis effugiat. Idcirco enim (inquit Nazianzenus) creſcente ſapientia animus cruciatur, & qui addit ſcientiam addit dolorem; quia plurima conſequendo, lõgè eminus multò plura proſpicit, quorum ſe ignoratione vexat & conficit, & ſcit vir ſapiens alijs meliùs, quòd multa ignorat, pluraq; eum fugiant, plurima lateant. Quam facile ergo erit in ijs rebus, quæ à finibus rationis excedunt, hallucinari & paralogizari, vt aiunt, vſos ſyllogiſmo fallaci. Nunquam ergo vt antiqua deſeramus, à nobis exprimat argumentũ, qui Chriſtiani ſumus, & fidei magis quam rationi conſueſcimus: ſed transferamus in nos à Magno Alexandro exemplũ, vt Gordianum vinculum niſi in promptu ſit ſoluere, excidatur. Cum enim oraculum editum eſſet, eum Aſiâ non potiturum, qui illius vehiculi, quo Gordius vehi ſolitus erat, nodum implicatum ſoluere non valuiſſet: non diu cum nodis latentibus colluctatus, quia nequiret diſſoluere, gladio diſtricto diſrupit; ſortemque oraculi, ſi non impleuit, eluſit.

*Plato.*

*2. ad Tim. 1.*
*S. Chriſoſt.*

*S. Nazianz. Orat. 1.*

Quid nobis ꝑdiſcendum.

eluſit. Nos verò in rebus Theologię abditis & latentibus, in rebus, inquam, grauiſsimis, & religione pleniſsimis, in queis errare eſt maximè perniciosum, ſi quod argumentum refellere non ſatis poſſumus, lōgé glorioſiùs contemnentes ſuperabimus. Quòd ſi animus abſtrahēdus, reuocanduſque eſt ab ſtudio nouitatis; non illa duntaxat inſolita eſſe putanda ſunt, quæ nunquam fuere hominum auribus audita, ſed illa quoque in eodem numero recenſenda, quæ cum olim audita eſſent, omnium ferè ſententijs repudiata ſunt, ne denuò, ad perniciem Reipublicæ literariæ, hinc inde aſportentur & conuehantur. Nam in quauis communitate ſocietateuè plurimorum, ſcita res eſt, vt in nauigio ſentinam eſſe, quo omnes ſordes confluunt, illâque agitatâ periculum fore ne vniuerſis peſtis, & exitium inferatur. Ita in vulgo Theologorum futiles & ſordidæ (vt ita dixerim) opiniones repertæ quādoque ſunt; quarum memoriâ iniquum eſt curſum orationis inhibere, & ſenſum animi quaſi odore iniucundo afficere: portenta, inquam, & commenta delirantium potiùs quam diſputantium Philoſophorum; quæ quidem iam diu ab ſcholis exulant, & quaſi fæces in obliuionem perpetuam reiectę ſunt. Has, qui nouant, qui reuocant, qui aſſertis deterioribus confirmant, in eundem lapidem impingentes, & reciprocatione quadam Euryporum, eòdem refluentes, vnde decurſum erat, nihil mihi aliud agere videntur, quàm agitare ſentinam, quam oportet nullatenus commoueri. Atqui his temporibus afflictiſsimis, vniuerſitas literarum, librorūq; affluentiâ redundans, vt altera Roma quondā pōdere imperij ſibimet immin ēs, vereor ne faciat vaſtiſsimā ruinā. Nullū autē maius diſcrimen formidandū eſt, quā quod fuerit per inſolitas & antiquatas opiniones, nouaſq; & inuſitatas immiſsū. Ergo antiquitas doctrinę Philotheologe (ſic enim te cōpellabo ô Theologię ſtudioſe, qui nō vmbrā, ſed corpus ipſum, hoc eſt, veritatem ſapientiæ conſequeris) omni ſtudio, omnique reuerentia, & amore colenda eſt: ad te enim iā noſtra ſe oratio conuertit, vt ſi quid minus effecerim in ijs præcandis, & monendis, qui libris concinnandis operam nauant, omne meum ſtudium in his exhortandis inſumam, qui etſi ſe adhùc magiſtros non agant, in ſtudio tamen literarum curam ponunt; omneſque huc vires orationis referam, vt ſiqui ſunt, qui pergant inaudita docere, nos vero addiſcendo, vetuſtiſsimis conſuetiſsimiſque adhæreamus: ne, quod ait Apoſtolus, ſemper addiſcentes nūquam ad veritatis cognitionem perueniamus. Cum enim eam ob cauſam diſcamus, vt veniamus ad cognitionem veritatis, ſi perpetuò cupiamus diſcere, hoc eſt, noua audire; profectò nunquam tandem licebit ad veritatem peruenire. Cuius

In numero inſolitorū repu-tāda, quę olim audita, repudiata omniū fere ſententijs ſūt.

2. Ad Thim. 3

S. Auguſt. ius rei iam olim rectè nos admonet, imò incuſat Auguſtinus, in dicās homines libentiùs diſcere, quàm noſſe: res enim nouas auidiſsimè pleríque hauriunt, ſemel verò auditas iam contemnunt. Cum autem media ad finem naturæ ſponte perueniant, & propter finem media expetantur, ordo ipſius appetitionis inuerſus eſt, & magis oblectat diſcere quàm noſſe, nouaque ſemper veſtigant, quæ norint, non vt norint, qui finis eſt ſcientis, ſed vt diſcant: quia noſſe faſtidio illis eſt, diſcere autem voluptati, & id quidem voluptuariũ eſt vulgi hominibus, qui rumoribus delectantur, nouiſque nuncijs, quæ ſemel audita id iam amiſere vt nouitate placerent. At verò viri ſapientes, qui veritatem rerum maximarum inquirunt, vt inuenta iucundiſsimè perfruantur, nõ æquũ eſt vt ferueant ſtudio nouitatis: ſiquidem ea doctrina, non quæ noua eſt, ſed quæ vera eſt, probanda erit, veraque acquiſitione fruendũ. Iſtius autem erant ingenij, ſcilicèt nouitatis amatores Athenienſes, quos vrbanè apud Platonem inſimulat Ægyptius quidam ſacerdos. *O Solon Solon*, inquit, *vos Græci ſemper eſtis pueri.* Eò quòd apud eos nullo loco aut numero antiquitas haberetur. Oportet autem ſapientiam temporum antiquitate canam eſſe; neque decet nos nouas fabulas, inſtar puerorum, ſingulis diebus narratas attendere. Quâ quidem laude Calliſtratus Rempublicam ſuam honeſtauit, ſemper in ea dicens venerabilẽ fuiſſe ſenectutem. Vnus nobis verſetur ob oculos Thomas Aquinas, neque is tantum vt magiſter, princepſque Theologiæ commemoretur, ſed vt auditor antiquorum, quibus ſe totum in diſciplinam tradidit, proponatur. Nam in doctrina quidem ſancta, Patrum ſententijs religione aſtrictum ſe eſſe planè credidit; tum verò Auguſtinum omni ſtudio ac obſeruantia eſt reueritus. Iudicabat enim veriſsimè id quod Plato aſſeuerat, verũ dici nõ poſſe niſi à Deo, & ab ijs qui à Deo originẽ ducunt, hoc eſt, qui Deo ſunt morum propinquitate coniuncti, qui caſam ſubnixam habent domicilio ſapiẽtiæ; qui per feneſtrarum hiatus penetralia eius rimantur, qui cùm Deo loquuntur quandoque familiariter. Et quod ait Clemens Alexandrinus, arcana non bacchantibus ſcire haud licet. Quapropter rectè quidèm Thomas mundanam hanc lucem, eò quòd cœleſtis quædam eſt qualitas, ſimulachrum eſſe ait ſapiẽtiæ: quippe quæ diuina eſt, & cœleſtes homines facit. Cœleſtis ergo ſit ignis opus eſt, quo Theologi litemus, & eundem oportet mente geſtare à cœlo allatum, non fraude ſubductum, qui faciat vt quõdam ſæcula ferrea, nobis plumbeam ſapientiam. Viros ergo Sanctos non modò vt præceptores Thomas coluit, ſed vt parentes quoque obſeruauit in rebus, diſputandis. Nam documento pijſsimi Iſaci, qui hoc tribuit

Marginalia: Ægyptius quidam ſacerdos apud Platonẽ. — Calliſtratus — In exemplum proponitur Thom. Aquin. — Plato. — Clem. Alex.

buit honori Patris Abrahami, vt effossos ab illo puteos excauaret, ac p vim obrutos restitueret, ijsdéq; nominibus eos nũcuparet, quibus Pater appellauerat. Thom. non effodit nouos puteos scientię, sed à fontibus paternis, hoc est, à Patrũ sententijs hausit; neq; nomina noua excidit, sed ijsdẽ nominibus acceptis assueuit: neq; enim sapientiæ nomen, nominibus aut opinionibus inueniendis, sed veritatẽ consectabatur. Et cum esset tãtus, qui prima theoremata pronunciare, distributionesq; rerum cõficere dignissimè posset; datis tamen libẽtiùs est vsus, quã vt sua proponeret. Ille igitur incredibilis rationis motus, qui in vno Th. strenuè viguit, in ijs, quæ Ecclesiæ admonitione, cõsuetudineq;, vel Patrũ sentẽtiã sancita erãt, placidissimè perpetuò acquieuit. Quãobrẽ iure optimo asseuerat Romanus Põtifex, incõsiderata temeritate illũ esse, & in periculo fidei versari, qui sibi esse proposuit ab auctore sapiẽtissimo Th. nostro discedendũ. Cuius, cũ animo tractarẽ causã, oraculi, nõ id solùm mentẽ subijt, quòd sit vir iste è cœlo delapsus calamitosis Ecclesiæ tẽporibus, quasi fax quædã teterrimæ caligini iniecta ad indicandũ manu veritatẽ: sed illud præsertim cæpi recolere, quòd vnus Th. omnium Patrũ sensa legendo colligens, ijsq; nusquã deflexis vestigijs adhærens nõ potest deseri, quin deficiamus à Patrũ saluberrimis sentẽtijs. Nihilq; nouum mihi videtur Põtifex Max. decreuisse, sed quod fuit in Ecclesia certissimũ, ne cui liceat Patrũ sententiam nõ tenere in rebus religionis dispiciẽdis, quia is discedit ab omnibus, qui ab vno Th. dissẽtit. Itaq; vir probissimus, dũ se præbet discipulũ, cõsecutus est, vt lege principis, scilicèt PõtificisMax. habeamus illũ magistrum. At verò iste antiquorum obseruator integerrimus, quasi ingenito odio nouitatis, vt nulli opinioni principem se daret, nullum nõ hominem literatum cõmemorat, quem possit in ferenda sententia sequi auctorẽ, & ducem. Ergo nouitas viris Theologis procul deuitãda est, præcipuè illis qui se dedunt disciplinis capessendis. Et vt tandem cum Theostene dixerim, stylus sit nouus, & tabella noua, scilicèt ad excipendam doctrinam; præter hæc nouum esto nihil, quod antiqua offẽdat. Hæc verò est ratio omnis studiorum meorum, hic scopus, & finis in quem mentem, & cogitationẽ intendo. Cum enim iamdiu ad literarũ studium animũ appulissem: post hæc ob corporis valetudinem ab scholarum curriculis discedens, nón poteram non animo cogitationeque in ijsdem disceptationibus versari. Oblectabántque me maximè verba Diui Gregorij Nazianzeni (cui summa est orationis contentiò cum admirabili suauitate coniuncta) quibus ille studium sapientiæ quo inflãmabatur, nõ dissimulat: eam se ait vitæ sciam, fidemque consiliariam, & congerronem, ducéq;

Genes. 26.

Theostenes.

Quis sit scopus, & finis auctoris.

Nazianzen.

viæ in cœlum ferentis promptamque adiutricem aſciuiſſe, in eamque vnam totã vim amoris poſt Deum,effudiſſe;hac mærorẽ cordis vinculum ſedare,hac inimicitiam non amicitiam metiri, hanc ſibi mundos diſtinguere,& abductũ ſe ab altero alteri adiungere. Hæc mihi cũ placerent ſummopere, vt in ſtudio literarũ nihil non quod expeterẽ inuenirem;tunc verò animũ cæpit illud inducere,& penè irritare, quòd

Ariſtotel. cogitarẽ probè Ariſt.dixiſſe, *Silere turpe,ac Xenocratem pati loqui*; magis autem indecorũ eſſe,vt tot vndiq; noui ſapientes obſtrepant, cum tãta impunitate loquendi, maiorũ ac Patrum auctoritate per iniuriã conticente. Illudq; tandem me cõpulit ad ſcribendum, vt conarer oſtẽdere, antiquas ſententias maximè ad religionẽ conuenientes,nouarũ argumentationũ oppugnationi non ceſsiſe, rerum cõpaginem,& colligationẽ ſolutam non eſſe,nullum exiſtere ruinæ locũ,firma cõſiſtere fũdamenta & manere. Nam,etſi mihi ſtudium nouitatis eſſet,quę plurimis fuit ſemper gratiſsima, hanc eandẽ rationem inirem beneuolẽtiæ per noua conciliandæ; nihil enim hâc ætate calamitoſa magis erit nouum,quàm antiqua reuoluere,vetuſta tractare,vſitata olim defendere. Sunt verò non pauca antiqua memoriâ hominũ obliterata, quę noua facere meũ erit:neq;adeò inſcitus ſum,&impolitus,vt rerũ inuentionẽ & indaginem vitio dare velim, ſed illos arguam planiſsimè, qui tàm vera inquirunt,quã noua.Illud duntaxat nouum prodeat, quod cũ antiquorũ ſententijs cõcordat,quod cõcinnat,quod nõ diſſentiat;iuxta di

S.Chryſoſt. ſertiſsimi Chryſoſtomi admonitionẽ,vt antiquitas robur ſit nouitatis. Sunt quippe nõnulla quidẽ vera,ſed erroribus plurimis fallacijſq; implexa,& tecta ambiguitate verborũ, quæ duce ratione inueſtigare honeſtiſsimũ erit. In enodatione autẽ argumẽtorũ,laude plenum eſt,periculũ facere ingenij,& omnes vires ſolertiæ intendere,alioſq; cũ alijs æqua æmulatione certare.Neq; enim diffitear in hoc noſtro opere nõnulla eſſe,quæ prima ſtatim fronte videãtur noua,&forſã in gymnaſijs minùs audita,ad ſolã explicationẽ rationũ earũ,quæ à philoſophiapetũtur:ſed ea õnia libris S.Th.accepta refero,in quib⁹ ſunt à me obſeruata & notata,vel ratione nõnunquã inuenta,dũ verbis eius quaſi manuducor ad veritatẽ. At verò in ijs quæ dubia eſſe viſa ſint,vſurpabo & mihi illud Aug. vt in omnibus literis meis non optẽ modò piũ lectorẽ, ſed

S.Auguſt. liberũ etiã correctorẽ, ita vt neq; in falſis captẽ beneuolentiã legentis, neq; in veris perpetiar caſtigãtẽ. Id enim inter Theologos pacto iã fædere decet eſſe ſancitũ,quod ſapienter Charilaus in Republ.benè mori

Charilaus. gerata efflagitabat,vt citra ſeditionẽ decertemus;vt iterũ dicã cũ eodẽ

S.Auguſt. Aug.ſi rectã incedo,pergamus ſimul,cum declinauerim, me reuoces:

quod

quod ſi errātē te agnoueris, redeas vel etiā ad me. Nam etſi nihil mihi tribuam, credo tamen non eſſe me expertem veritatis; in qua exquirenda diutiſsimè & libros, & cogitationem verſauerim: tum vel maximè in quæſtionibus difficilioribus, & in ſubtilibus diſputationibus, vt ſcrutarer id quod verum eſt. Commentarios quoque noſtris temporibus proditos inuſsi domeſticis notis, vt attentiùs ſcribentium mentē deprehenderem, & nihil excideret, quod videretur cū antiquis de veritate contendere. Exiſtimo autem nomen ipſum antiquitatis ſummam habere auctoritatem, quæ in libris meis perpetuò interueniat exopto; eamque imprimis mihi attribui, iure quodam efflagito, dum hæreo Patrum & doctorum veſtigijs, dum ea cōſequor vbi etiam vix impreſſa poſſunt difficiliter deprehendi. Poſt hæc autem illa ſit de nobis exiſtimatio, quam argumentationis vis, momentum, ac pondus conciliauerit: inchoatur enim Theologia noſtra ab auctoritate, conſtat autem ratione. Eritque nobis etiam hoc fas & æquum, vt S. Thomam habeamus, ac ſequamur ducem, magiſtrum, & auctorem, à quo certum eſt nulla in re etiam leuiſsima diſcedere; non quòd iuremus in verba magiſtri (vt quidam aiunt) neque quòd placet ſententia illa Ciceronis, quòd mallet errare cum Platone, quàm cum alijs vera ſentire: ſed quia eum præceptorem nacti ſumus, qui omnium præſtantiſsimus dux eſt ad inquirendum veritatem. Fuit quippe ad excogitandum peracutus, in diſputando acerrimus, & ad iudicia ferēda perſpicaciſsimus, & quod videtur in eo extitiſſe ſingulare, fulgentiſsimum habuit lumen ingenij, vt difficiliora quæque tàm ſagacitate indagaſſe, quàm ſenſu acieq; mentis percepiſſe, iudicandus ſit. Vt enim ſilex naturâ ignem cōcipit, quem eliciat conflictu trituque ferri; ita S. Thomas, quaſi viuus lapis grauis, plenuſque luce, rationis agitatione attritus emicat & effulget. Ariſtoteles ſanè, cum cæteris philoſophis ſi comparetur, ſolertiâ inueniendi, & dexteritate iudicandi, primus eſt, & Philoſophorum coryphæus omniū academiarum voce vna acclamatus. Iam enim præclara quondā nomina Anaxagoras, Thales, Bias, Pitachus, Cleobolus, Solō, Chilon, & Periander, alijq; plures de gloria eiuſdē ſepteni numeri opinione hominū decertantes; iam Epymenides, Pithagoras, Xenophon, Chryſippus, Ariſtarchus, & Plato ipſe, vnius Ariſtot. voce diffuſa, vnius percrebeſcente memoria, ſilentio inuoluta ſunt, obliuioneque obruta & conſepulta. Ego verò, cum Ariſtotele Thomam ſiquis conferat, primas potius credam iſti à Deo optimo tributas, quàm concedam illi eſſe deferendas; non quòd ignorem quanta gloria ſit, quàm ingens decus Thomam noſtrum ingenij celebritate conferre cum Ariſtotele

Theologia inchoatur ab auctoritate, conſtat verò ratione.

Cicero.

Quis D. Thom quod eius ingenium.

 princi-

principe Philoſophorum; ſed nulli iniucundum eſſe credendum eſt, Principem Theologiæ, ſi cum eo conferatur, præferri; id verò ſi fuerit non vanâ coniecturâ cõprobatum, fore gratiſsimũ. Ego verò hoc loco non modò euagari, ſed multus eſſe cupio in eius collaudatione, vt mẽtis oculis obijciam eorum, qui ab illo diſcedunt, quem virum deſerant, quem quaſi æmuli veritatis oppugnent, quem penè reſpuant & abijciant. Neque abs re fecerim ſi ad commendandum ſtudium vetuſtæ diſciplinæ oſtendam apertè, quàm hic obſeruans antiquorum diſcipulus, poſterorum ſit magiſter, & quòd vir idem qui fuit nobis norma

Quãtus fuerit Ariſtoteles.

diſcendi, ſit quoque haud dubiò docendi meta. Vt redeam igitur ad Ariſtotelem, ille quidem innumera penè edocuit, excogitauit quam plurima, omnia limauit & abſoluit, quę in phyſicis diſciplinis erãt explicanda, eiuſque ingenium ſic fuit à natura deſtinatum ad vera, vt quę probauerit aliena aſſerta, quæque ſua induxerit inuenta, poſterorum ferè omninm aſſenſione ſint comprobata. Quis autem non reputet hominem iſtum gloriæ cupidiſsimum abſtinuiſſe à multis, quædam etiam obſcura ſcripta non ignarum reliquiſſe, nonnullaque verſaſſe in vtramque partem quæſtionis, vt nihil de rebus dubijs aſſereret, quod

Antefertur D. Thomas Ariſtoteli.

poſterorum induſtriâ poſſet refelli. Cum his ergo componamus ſimilia Thomæ laudum ornamenta. Et quidem, ſi numerus rerum ſpectetur, multò ſunt plura, quæ Sanctus Thomas in lucem edidit: ſi veritas æſtimetur, veriora: quæ enim naturâ excellunt, veriora ſunt. Quamobrem rectè dixit idem Philoſophus exiguam diuinorum agnitionem

Ariſtoteles.

eximiæ rerum mundanarum intelligentiæ non parùm præſtare. Igitur ſi Thomas Eccleſiæ decus in rebus diuinis tractandis diſputandiſq; illud eſt aſſecutus, vt nunquam à veritate diſcederet, longo interuallo ingenij laude, & rectè iudicandi præſtantia Ariſtoteli eſt anteferendus. De Deo enim incomprehenſibili diſſerentem ſemper vera eloqui, veriſque ſimilia pronunciare, glorię cuiuſdam eſt ſingularis. Eleganter

Epicurus.

enim Epicurus Deum fugientem deſcribebat ab Achille Pelei Filio.

*Inſequeris cur me pedibus pernicibus ipſe*
*Mortalis Pelide, immortalem? An ego notus*
*Non tibi ſum Deus?*

S. Clem. Alex. ſtrom. lib. 2.

Quod Clemens Alexãdrinus detectis verborum inuolucris, dixit apertiùs. Deus, inquit, res quædam eſt captu, perueſtigatuque difficilis, perſequentis oculis ſemper ſe ſubducens, & procul abſcedens. Ecquis verò oratione explicet quàm promptè de rebus diuinis Thomas philoſophetur, & veritatem quaſi fugientem inſequatur & teneat, myſteriaque omnia in diuinitatis latebris recluſa expromat, inque

omnium

omnium conſpectum producat? At verò ſubeſſe cuipiam par non eſt, de ſimplici ingenio Sancti Thomæ omnem gloriam faſtidiente, vel te nuem ſuſpicionem, quòd induſtriâ fecerit quædam obſcuriora, quæ propter ambiguitatem altero ſenſu atque interpretatione eſſent vera; ſed omnia ſincerè exponit, verbiſque velut à natura datis atque inſitis elucidat. Ipſum verò Philoſophum ita declarat, vt vel latere non poſſit, cum voluit; vel cum hæſitat Ariſtoteles, ipſo Thoma potiùs Auctore quam interprete, proferat certam ſententiam. Itaque plurima ſunt quæ debent Thomæ Ariſtotelici libri: nos verò debemus Thomæ libros ipſos Ariſtotelicos, nullis alijs commentarijs antea ſatis, ſcitèque explanatos. Et, vt vno eloquar verbo, in ipſis phyſicis diſciplinis Ariſtoteles dixit prima, Thomas dixit meliora. Quòd ſi vera quæque noſtra facimus quæ probamus, ſi inueniſſe nihil aliud eſt quàm dixiſſe priùs, id equidem poſſumus de Thomæ ingenij magnitudine præclariſsimè conijcere, Thomam fuiſſe inuenturum plurima quæ accepit, niſi priùs tradita legendo accepiſſet. Nam qui in obſcurioribus quæſtionibus de rebus cœlo abditis, nunquam non ſe ad veritatem direxit, & ratione duce vltra fines rationis progreſſus eſt, nihil non potuit in rerum natura indagare, quod alteri homini noſſe licuiſſet. Thomas verò ita Ariſtotelem probauit, vt alijs quoque ipſum placere, diſputando efficeret. Nam & in Auguſtino, quem vt magiſtrum ſummo ſtudio reueritus eſt, magnopereque coluit, quædam diſsimulauit, & nonnulla reiecit; in Ariſtotele omnia quæ natura duce ſciri potuerunt, rectè putauit eſſe conſtituta. Quare Ariſtoteli conſentiendo, propria ſanè placita ſequitur, quæ fuiſſent, ſi priùs non acciperet, placitura. At verò proponatur certamen de inuentione rerum; ſiquid Ariſtoteles excogitauit de natura, ſi plurima de arte ratiocinandi (qua laude ſibi ipſi Ariſtoteles placet) hæc quidem nequaquam extenuanda ſunt, aut minuenda; nihil enim ſimul & inuentum, & perfectum eſſe poteſt. Maiori tamen gloria cumulandum eſſe Prncipem Theologiæ non dubito, quòd circa principia Theologiæ nihil excogitauerit, quòd nihil de placitis Eccleſiæ Patrumque mutauerit: nam à Deo amiciſque Dei cum aſſenſu percipere principia Theologiæ, maius aliquid eſt quàm res naturæ inueſtigare: poſt hæc autẽ tradita ſibi à Deo principia, tot tantaq; ſunt quæ acie mentis, & induſtria inquiſiuit, excogitauit, inuenit, vt neque de numero ratio aliqua, neq; de rerum magnitudine vlla digna æſtimatio afferri poſsit. Quamobrem potiori quidem iure viro huic maximo punica mala ſacranda eſſent quàm Mercurio; Cum nulla ſit quæſtio latebris illis, irretitiſque

D.Th. nõ fecit induſtriâ quędã obſcuriora: ſed omnia ſincere exponit.

In phyſicis diſciplinis Ariſtotel. dixit prima Th. meliora.


granis

granis magis implicata, quam Auctor acutiſsimus non enodet & explicet; ita vt diuinatio quædam illi obtigerit, tanquam Salomoni, intelligendi ænigmata. Singulas partes quæſtionum, quæ ſunt innumeræ, in ſuos articulos, quos dixit, vocatæ ac diſtributæ, ſingula miracula dixit Eccleſiæ Pontifex Maximus. Miracula, inquam, dixit gratiæ, an naturæ? Profectò in ijs libris, quibus redundantis, ac pene infinitæ ſapientiæ ſuæ ſummam fecit, nominauitque, tanta eſt nouitas in dicendo, tanta in aſſerendo grauitas, tanta in diſputando argutia, tanta in opinando certitudo & firmitas, tanta in explicando breuitas, tam propria eloquutio, vt integri libri admirabiles ſint; & iure optimo in numero miraculorum receſendæ innumeræ illæ quæſtiones, quas ſuis articulis diſtributas reliquit. At verò admiratione quàm maxima afficimur audientes, quoſdam id vertere vitio S. Thomæ, quòd adeò aſſenſus ſit Ariſtotelicis omnibus pronunciatis. Quibus reſpondendum modò eſt verbis Tullianis, Summa laus illi vitio data eſt inopià criminum. Cum enim nulla ſint quæ in virum doctiſsimum poſsint conijcere, id vitio aſsignant, quod eſt ſummopere laudandum. Cum etenim Theologi officium ſit diuina quæ latent, cum ijs, quæ à natura in conſpectu ſunt, componere, vt nullũ rationis diſsidium inter vtraque excitetur; quid ſapientius, quid argutius, quid magis conſultum Reipubl. Chriſtianæ, non dicam excogitari, ſed ne expeti quidem potuit, aut optari; quam cum ſummi Philoſophi opinione ac ſenſu res diuinas conciliare, omniaque ita accommodare cõcinnè, ita coaptare ſapientèr, vt philoſophica aſſerta iuuent, & aperiant diuinorum intelligẽtiam? Nam ſi diuerſæ Philoſophorũ opiniones in noſtram Theologiam accerſendę eſſẽt, veniremus in ſuſpicionẽ; quòd ea quæ apta eſſẽt noſtris, ad libitũ, & ex animo eligeremus. Principem autem Philoſophiæ ſequuti, clariſsimè palamque oſtentamus, de rebus naturalibus nos vera philoſophatos, cum ijſdem rectiſsimè diuina omnia contuliſſe. Neque ex his indicium erit quòd nimiùm ille indulſerit, aut arriſerit Ariſtoteli; ſed quòd iſte apprimè ad ſcopum veritatis pertingat. Nam, etſi Platonem etiam errantem, Patres nonnulli ſequuti ſunt (Quis enim mortalium, inquit Hieronymus, aliquo errore non tenetur?) Attamen ea quæ à S. Thoma manu iterum verſata ſunt, inoffenſo pede percurrimus, neq; illi vnquam Ariſtoteles dux fuit ad præceps, ſed comes quem in veritate indaganda non debuerit aſpernari. Superſedeo autem à temeraria concertatione, vt Thomam noſtrum cum magnis Patribus comparare Hieronymo, Auguſtino, Nazianzeno, Baſilio: tametſi illud veriſſimum ſit (quod quidam dixit) Thomam eum fuiſſe, quem omni

ætate

*Non eſt dandum vitio D. Thomæ quòd in omnibus Ariſtoteli aſſenſus ſit.*

*Tullius.*

*Superſedet à comparatione Sãcti Thomæ cum magnis Patribus.*

ætate magnum dixeris. Et quidem Auguſtinus Magiſter Thomæ vocatus eſt; qui certè quàm ſolerter diſputauerit, quàm loquatur diſertè, quàm altè penetret ad myſteria, nō eſt alicuius hominum ingenij aut facundiæ enarrare. Hæc tamen ab illo tradita, in libris Sancti Thomæ breuibus Theologicæ quæſtionis finibus determinata cum ſint, alia infinita ab iſto ſcripta effluxerūt, redundaueruntque largiſsimè. Nefas autem exiſtimamus, ſi quis ingenium cum ingenio, aut vim iudicandi vnius cum altero, audeat inuicem comparare. Auguſtinus flumen eſt placidiſsimum omni opulentia affluens, & ornatiſsimum; Thomas fulmen perſpicax mentis oculos perſtringens, quod cum fulgeat lucidiſsimè, capi tamen facilè non poteſt; omnia colluſtrat, omnia inuadit, ad ōnia pertingit. Itaque Auguſtinus & Thomas flumen & fulmen. Cum igitur vir ſapientiſsimus valuerit ingenio, quod etiamſi induſtriâ non aleretur, magnum foret; admirabili tamen & quaſi immenſo ſtudio ac diligentia cunctarum rerum peritiam, & omnibus partibus conquiſiuit. Eorum quippe, quæ ſuo ſæculo literis commendata erant, nihil non verſauit & legit, cūcta notauit, omniaque hauſtu quodam memoriæ, portenti ſimilis, excepit & collegit, mentique penitus impreſsit. At verò quantum emolumenti rebus ſciendis attulerit in ijs dijudicādis & internoſcendis, quæ eius memoriæ inſederant, nulla eſt tanta copia dicendi, nulla rationis tanta vis, quæ poſsit, non dicam verbis complecti, ſed ne quidem narrando percenſere. Quemadmodum enim incolæ Ægypti, eò quòd cernerent fines agrorum confundi profluente Nilo exturbatis finium ſignis & notis, dediderunt ſe aſtrorum curſibus, & conuerſionibus metiendis, vt ipſos fines quorum deſcriptionem tellus incerta, & volubilis non obſeruabat, aſtrorum dimenſione æſtimarent: ita ſanè, cum Patrum doctrina nominum multitudine, & quaſi colluuie, obruta lateret, & non ſatis notas ipſas veritatis indicaret: illius ingenij ſolertiâ, adhibito inſtrumento philoſophiæ, ita apertè deſignatur, vt obſcurum iam non ſit quid quiſque ſenſerit, & veritati tuendæ facti ſint fines perſpicui, quibus diſcernatur à falſis. Calluit enim præ cæteris omnibus vel Doctoribus, vel Philoſophis vim & proprietatem verborum, vt tanquam alter Adamus quocunque nomine rem nuncupet, ipſum ſit nomen eius. Eſt autem nomen nota intelligentiæ, ſignum notionis quæ eſt in mente, clariſsimū argumentum peritiæ rerum. Itaque, vel hoc vno ſatis oſtenditur, quā ſcitè intellexerit quæcunque diſputando tractauit, vt qui verborum proprietate vniuerſis præcellat. Thomas igitur omnium Patrū, Philoſophorum, clariſsimorumque virorum ſententias in ſe vno colligens, animoq;

S.Aug. magiſterS. Thomæ vocatur.

Aug. fulmen. Thom. flumē.

Sācti Thomæ ingenium, itēque diligentia & ſtudium.

Quātum emolumenti rebus ſciendis attulerit.

Comparatio.

Calluit S. Th. vim & proprietatem verborū

D. Thom. pro omnibus, & inſtar omniū colendus.

animoque diutiſſimè tractans & conferens, ita omnia expoſuit, confirmauit, expoliuit, emendauit, abſoluit, vt iure optimo vnus nobis pro omnibus & inſtar omnium colendus ſit. Quòd verò vir admirabilis res diuinas cum philoſopia copulauerit, vſque adeò vt nulla res ſit fidei tenebris adeò recondita, quam phyſica ratione non illuſtret; id mihi profectò videtur effeciſſe vt pro dignitate credamus, quo modo par eſt, eos fidem habere, qui non amiſerunt, ſed ſubmiſerunt propter fidem, rationem. Et quidem ij qui diuina oracula non inducta ratiocinatione, ſed nudè & ex ſolis verbis ſenſum conijcientes commentantur, ſæpius ambigua, & retruſa ſignificatione falluntur: vnde accidit venerandos Patres deflexiſſe aliquando à veritatis ſenſu. Qui verò argumentis verborum notiones expiſcantur, longè propiùs adeunt retectis inuolucris veritatem. Quapropter Theologia noſtra, quæ tradit doctrinam fidei diſputando, non ſolùm hominibus ratione præditis decora maximè eſt, ſed vtiliſsima; vtpote veri falſiq; index & iudex. Hanc ego ſolitus ſum aſtrorum ſolisque volutationi comparare: prima ſcilicet die qua erant vniuerſa indecora & informia, facta quidem eſt lux; ſed die quarta, qua orbis hic cœpit pulcherrimè ornari, lucidiſsimorum aſtrorum motus & concurſatio eſt ab orbis opifice ſapientiſsimè inſtituta. Ita certè in priſcis Patribus luculentiſsima doctrina eſt, & lux. Fulgentiſsima offuſa, ſed quæ vix mouetur pulſu & volutatione rationis. Theologi verò ſunt qui lucem iſtam omnium mentibus inijciunt, qui iubar doctrinæ nitidiſsimum circumferunt & verſant. Nullus autem ſine inuidia poterit, vel hæſitando, inficiari, Thomam principem Theologiæ eſſe nobis omnibus inſtar ſolis clariſsimi, à quo cæteri Theologi ſplendorem velut mutuum accipiant. Conuenit autem etiam in virum ſapientiſsimum nomen alterum ſolis, quem mundi oculum appellamus, quia nō prælucente Thoma ferè licet nemini veritatem ipſam, veluti ſine oculis, intueri. Qui ſcilicet cætera quidem fuit admirandus, ſed in hoc tamen planè diuinus, quòd ita cogitationes ſuas ad veritatem direxit, vt perpetuò collinearet. Quòd enim iaculando effici non poteſt, vt omnē iactum ad notam propoſitam certò quis dirigat, ſingulari ille ingenio perfecit, vt ad ſcopum rerum verarum, quo omnes intendimus, feratur ſemper & deducatur. Hoc verò, etſi gloriæ ſit ſingularis ac pene diuinæ, non oratione perſuadere nunc opus eſt; ſed erit poſtea in his libris diſputando comprobandum: id enim munus veluti nobis aſsignatum inimus, vt placita omnia à communi magiſtro, authoreque ſelecta, nō modò vero ſimilia, ſed vera quoque eſſe pugnemus: donū planè diuinum dixerim, iudicio Solonis comprobatum; quia nec quidquam errare

Thom. inſtar ſolis.

Mūdi oculus.

Sēper ad ſcopū veritatis fertur

Solon.

Deorum eſt. Cuius laudis eximiæ Doctori Sancto attributæ magnum argumentum arbitramur, vocem editam à Chriſto Domino oraculo imaginis ſuæ, *Bene ſcripſiſti de me Thoma*: neque enim bene eſt ſcriptum niſi quod eſt verè ſcriptum. Quas voces auribus fratrum acceptas eſſe traditur, rerum geſtarum almi ordinis noſtri publicis monumentis.

*Bene ſcripſiſti de me Th. exponitur.*

Nec mirum eſt quòd fuerit diuino oraculo benè ſcripſiſſe iudicatus, qui Dei magiſtri aſsiduus auſcultator extitiſſet; id enim, cum adhùc eſſet cum mortalibus, fratri cuidam familiariùs ſecum agenti candidè confeſſus eſt ſciētiam ſibi è cœlo allatam potiùs quàm ſuo ſtudio fuiſſe comparatam.

*D. Th. aſsiduꝰ Dei magiſtri auſcultator.*

*Sciētia D. Th. è cœlo potiùs allata, quā ſtudio comparata*

Cuius rei, ſi vir integerrimus non eſt ſatis locuples teſtis, credendus erit de ſe falſum, aut leue teſtimonium dixiſſe (quod abſit) & mendacio eam doctrinæ ſuæ commendationem ambijſſe, vt præclari quondam legislatores, Deorum ſecum colloquia mentiti ſūt. Profectò id ipſum doctrina illius planè teſtatur, quæ non niſi diuino munere potuit mortalium cuiquam obtingere. Metuāt verò ſibi æquū eſt, ne ſint rebelles lumini, quod ait Ioannes, qui doctrinæ Sancti Thomæ tantopere obſiſtunt, habentis proculdubio donum cæleſte ſapiētiæ, vt non cum opinione Thomæ, ſed cum ipſa luce videantur velle pugnare.

*Ioan.*

Non illi data eſt Abarydis ſagitta ab Apolline, non ad lebetem Theſprotei, non ſub ſpecu Trophonii vaticinatus eſt, non fuit Pythonis de terra vox eius; ſed numine veræ Deitatis plenus & inſtinctus, ſempiternis monumentis diuina documenta mandabat. Non Caſtalios, aut Colophonios fontes petebat; ſed aquis ſapiētiæ, quæ Deus eſt, epotis vberrimè, vt ſacer aquæductus rigauit omnes de ſuperioribus ſuis. Hæc enim eadem verba ſibi diuinitus cæleſti viſione prolata, inito magiſterio edidit, ignarus quid de ſe ipſo prędiceret, inſcius quidem ipſe de ſe, ſed veriſsimus vates, rigans mōtes de ſuperioribus ſuis. Hos ergo latices hauſit, hos habuit puteos, è quibus ſorberet ſapientiā. Quòd ſi erumpebat infinita aliqua quæſtio, extemplò Deum adibat, precariam enodationem ſupplex efflagitans, & coram deliberabat de theſi explicanda, referebatq; diuina reſponſa, vt tanquam à Moyſe poſſimus petere ab eo ſententiam Dei, verbaque Thomæ non vt humana ponderare, ſed æſtimare diuina. Et ſicut olim Eſdras reſpiciens ad ea quæ erant in proſpectu cōſcripta, verba verbis paria traducebat; ita videtur Doctor ſcientiſsimus ea quæ erant diuina manu mēti ſuæ inſcripta, litteris tranſtuliſſe.

*Eſdr.*

Incredibile enim eſt adeò eximiam ſcientiā intelligentiamque rerum ſuperarum arte & ingenio potuiſſe comprehendi. Sed vt erat vir ſanctiſsimus, totos dies noctesque aſsidua meditatione à ſenſibus alienatus, & ab homine excedens, omnem copiam

ſapientię

ſapientiæ à diuino pectore, quaſi è theſauris, accepit: vt dicamus de Thoma, quod Auguſtinus de Ioanne notauit, quòd non ſine cauſa ſupra pectus Domini recubuit, ſcilicèt vt hauſtam inde ſapientiam longè lateque per Eccleſiam diffunderet. Quid autem Hæretici in Sanctum Thomam quaſi in hoſtem conſpirant? Quid ſibi volunt turpiſsima illa conuicia, quæ ipſi hoſtes Eccleſiæ in Thomã conijciunt, niſi vt quod de Sancto Cypriano dixerat Theologus, linguam Eccleſiæ recidant; vt mutum, & elinguem populum, quaſi armis pulſis abiectiſque, adoriãtur, & expugnent? Hæc eſt ſcilicèt Thomæ illa gloria, quam Hieronymus Auguſtino aſcribebat, quòd illum Heretici vehementiſsimè deteſtarẽtur. Quòd ſi ille fidei arx quædam eſt, tutiſsimumque propugnaculum; æquiſsimo iure doctores omnes ſcholaſtici ab incurſione, & impetu, quo cum veritate ipſa pugnam ineunt, deberent ſe ipſos reuocare, & quaſi ſacro bello abſtinere. Tametſi hoc quoque liquet experientiã (quæ, vt ait Nazianzenus, ſtultorum magiſtra eſt, non verò ſapientium, quorum eſt antequâm etiam experiantur, prænoſſe) conatu impreſsioneque aduerſariorum ipſis dedecus conflatum eſſe; Thomæ verò nunquam non fuiſſe ſummam gloriam comparatam. Illud quippe in doctrina eius compertum eſt, quod de fidei controuerſia notat Hilarius, dum omnes contra Thomam veniunt, omnes ſe inuicẽ vincere, ſed nihil ſibi euincere, victoriamque illorum Thomæ triumphũ eſſe; dum arguit vnus alium, dum hic illum refellit, dum vtroſque ſuperueniens oppugnat, & victis omnium partibus, victrix denique exiſtit Sancti Thomæ ſententia. Magna enim (inquit vir ille ſapientiſſimus) vis eſt veritatis, quæ cùm per ſe intelligi non poſsit, per ea tamẽ ipſa, quæ ei aduerſantur, elucet, vt in natura ſua immobilis manẽs, firmitatem naturæ ſuæ, dum attentatur, acquirat. Quemadmodum autẽ Calanæ turris, hoc eſt Babylonicæ, vaſtiſsima mole excitatæ ingens illud opus, linguarũ permiſtione interpollatum eſt, & compreſſum: ita quidquid veritati aduerſum multorum conatibus ædificatur, ipſa varietate turbulentiaque opinionum diſſoluitur. Quas ob cauſas minimè indecorum eſt, vt Sanctum Thomam haud dubiè Theologiæ principem quaſi Lydium currum conſequamur in ſanctis diſputationibus; quemadmodum ducem Philoſophiæ Ariſtotelem ſuſpicimus, admiramur, & obſeruamus in phyſicis diſciplinis. Diſcipuli Pythagorici rebus aſſertis rationem nullam adhibebant, ſed quærentibus cauſam, ad auctoritatem omnia reuocabant, *Ipſe dixit*, reſpondebant. Tantùm enim (inquit Cicero) opinio præiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret auctoritas. Nos verò eorum, quæ Thomas tradidit, cauſam

vltrò

S.Auguſt. | Hæretici in D. Thom. quaſi in hoſtem cõſpirant. | S.Hieronym. | D.Thom. fidei arx eſt. | Nazianz. | S.Hilar. | Qui cõtra Thomam veniunt, ſe inuicem vincunt, ſed nihil ſibi euincunt. | D.Thom. | Simile. | Pythagorici. | Cicero.

vltrò afferimus, refellimuſque argumenta contraria. Igitur & auctoritatem meritò Sanctæ Theologiæ inſtitutori digniſsimo deferimus. Audito ſanè nomine illius quid ſentiendum ſit de re quapiam decernentis, ſicut aſſolet in ſcholis, Ariſtotele commemorato, definit cõtrouerſia noſtra, intermittitur quæſtio, animus conquieſcit. Animus enim addiſcentis in præceptore vno conſiſtit; doctoribus verò permutatis tanquam paruuli fluctuantes circumferuntur omni vento doctrinæ, vt Paulus ait, cum nulla certa lege diſputantes coerceantur: omnes enim doctrinas dum reſpuunt ingenium fluctuat, hæſitat, ac titubat ſententia, nutat ratio, nulla conſtant, omnia vacillant. Hoc ergo crimen ſpõte admittimus, hanc ignominiam ferimus libenti animo, hâc maculâ notari cupimus, vt dicamur adeò ſcientiſsimo auctori addicti deditiq́;, vt nullatenus nobis ab illo deficiẽdum ſit. Qui verò me offenderit extra caſtra S. Thomæ ab eius opinionibus in re quauis diſſentientem, gratiſsimum erit, vt quaſi transfugam reuocet ac reducat. Nam ille eſt mihi puppis & prora, vt Græcorum eſt prouerbium; has operi meo extruendo iuxta Pyndarum, aureas columnas ſubijciam. Eorum autem qui Thomiſtæ eſſe, aut dici volunt, nemini fidem damus, vt magiſtro, nec commentarios alicuius ſequimur. Quæ enim in verbis S. Thomæ quaſi concluſa, in lucem depromenda ſunt, ita variantur ad arbitrium commentantium, vt illorum non pauca commentitia ſint & ficta, nõ commentaria, ſed commenta, & à doctrina illius vehementer abhorrentia: quin imò in nonnullis difficilioribus verbis S. Thomæ euoluendis, arbitramur quibuſdam accidiſſe, quod narrat fabula de Saturno, qui cum ſe Iouem filium devoraſſe exiſtimaſſet, & lapide comeſto cibum duriſsimum nequiret concoquere, cæteros quos deuorarat cum Ioue ipſo lapideo dicitur euomuiſſe. Sunt enim qui S. Thomam ſe capere optimè rati, lapidem gerunt in ſtomacho, quem digerere haud quaquam poſſunt. At verò ſi ea tandem difficultas verborum S. Thomæ, more peripatetico loquentis, vſu ac ſtudio emolliatur, experti ſanè ſumus in arduis quæſtionib⁹, quarum ſoluendarum ratio nulla ſuppeteret, verbis Thomę attentiùs legendis animoque tractandis, & iterum atque iterum reuoluendis, veritatis viam luculentiſsimam ſubitò patefactam eſſe.

*Auctoritas D.Th. quanta.*

*Græcorũ prouerbium.*

*Aliquorum in D.Th. cõmentaria non commentaria, ſed cõmenta.*

*Tabula de Saturno & Ioue lapideo.*

Cæterùm, ſtudioſe lector, reliquum eſt, vt dicamus breuiter de norma ſcribendi, ad quã libros hos dirigimus, & de librorum inſcriptione. Primum eſt quo mihi perſuaſi, vt animum admouerem ad ſcribendum, quod iampridem inciderunt in manus noua aliqua; & multum aliena à doctrina Patrum; ſimulque cupiditas quædam ſe ſe menti iniecit

*Norma ſcribẽdi, ad quam libri hi dirigitur*

Eadem quæſt. art.4. & q.5. art.1. vide lib.4.cap.25.p.2.
Quæst.3.art.4.& 3.p.q.17.art.2. vide lib.4. cap.26. p.1.
Quæſt.3. artic. 5. vide libr. 1. cap.24. p.2.
Quæst.3. per totam maximè art.5. vide lib.4. cap. 32. p.1.& 3.& cap. 34.& lib 5.cap.1.p.3.
Eadem quæſt.art.5,6.7. & 8. vide lib. 1.cap.14.p.1.& 2.
Eadem quæst.art.7. vide lib.1.cap.24.
Eadem quæſt.art.8. vide lib.1. cap.25.
Quæſt.4.art.4. vide libr.3.cap.24.
Quæſt.5.art.1.& 3. vide lib.3. cap. 6. p.1.
Quæſt.7.art.1. & q.44. art.2. & q.75. art.5. in fine, vide lib.4.cap.10.p.2.
Quæſt.8. art.1.& q.3.art.4. q.5. art.1. vide lib.4.cap.31.p.1.
Eadem quæſt. art.1.& 3. & q.43.art.3. vide lib.6. cap.6.p.1.& 2.
Quæſt.12. artic.7. vide libr. 1. cap.12. p.1.
Quæſt.13.art.1. vide lib.5. cap.9. p.2.
Eadem quæst. art.2. vide lib.5. cap.1. p.3.
Eadem quæſt. art. 3. vide lib. 5. cap.3.
Eadem quæst. art.4. & 12. vide lib.1. cap.30.p.1.2.& 3.& cap. 31.
Eadem quæſt. art. 5. vide lib. 5. cap. 6. p.1.
Eadem quæst. art. 6. & 3. vide libr.5. cap.7.p.1.
Eadem quæſt. art.7. vide lib.3. cap.19.
Eadem quæſt.art.7. & quæſt. 28. art.1. vide lib.3.cap.13.p.1.& 2.
Eadem q. art.8. Vide lib.5.cap.9.p.2.
Eadem quæſt. art.9. & ad 2. vide lib.5. cap.12.
Eadem quæſt.art.9. & 10. vide lib. 5. cap.11.
Eadem quæſt. art. 11. vide libr.5.cap.8.
Quæſt.16.art.1. vide lib.13.cap.5.p.2. & cap.6. p.2.
Quæst.27.art.1. vide lib.2.cap.8. vſq. ad 10. & cap.17. vſque ad 21.
Eadem q. & art. & q.33. artic. 1. vide lib.2.cap.22. p.2.
Eadem q.& art. fin.& q.34.art.1, vide lib.2.cap.2.p.5.
Eadem q. art.2. vide libr. 2. cap.8.p.1.
Eadem quæſt. artic.3. & q.36. artic.4. vide lib.2.cap.7.
Eadem quæſt.art.3.4. & q.36.art.1. & q.37. art.1. vide libr. 2. cap. 13. & cap.16.


Quæst.

Quæſt. 27. art. 4. vide libr. 2. cap. 17. cap. 18. p. 4.
Eadem quæſt. art. 5. vide lib. 2. cap. 20. p. 2.
Quæſt. 28. art. 1. & 2. vide lib. 3. cap. 15. & 25.
Eadem quæſt. art. 2. & quæſt. 29. art. 4. q. 39. art. 1. q. 40. art. 1. vide lib. 3. cap. 26.
Eadem q. art. 4. & quæſt. 30. art. 1. & 2. vide lib. 3. cap. 22. & p. 2. & cap. 34. p. 2.
Quæſt. 29. art. 1. q. 39. art. 3. 3. p. q. 77. art. 2. vide lib. 4. cap. 16.
Eadem q. art. 1. & 3. p. q. 92. art. 2. & 3. vide lib. 4. cap. 45. p. 2.
Eadem q. art. 2. & ad 2. vide lib. 4. cap. 18. p. 3. & cap. 44. p. 3. & 4. & cap. 45. p. 1.
Eadem quæſt. artic. 3. vide libr. 4. cap. 47.
Eadem quæſt. art. 4. vide lib. 4. cap. 65.
Quæſt. 30. artic. 1. vide libr. 1. cap. 16. & lib. 4. cap. 38.
Eadem quæſt. art. 1. & 2. vide libr. 4. cap. 41.
Eadem q. art. 2. & q. 32. art. 3. q. 40. art. 2. c. & ad 2. vide lib. 1. cap. 40.
Quæſt. 30. art. 3. vide lib. 1. cap. 42. p. 1. 2. & 3.
Quæſt. 31. artic. 1. c. & ad 1. & 2. vide lib. 5. cap. 16.
Eadem q. art. 1. & ad 3. vide libr. 4. cap. 36.
Quæſt. 32. art. 1. & q. 39. art. 7. vide lib. 1. cap. 12. p. 1.
Eadem q. art. 3. vide lib. 4. cap. 56. p. 1. & 2.
Eadem q. art. 5. vide lib. 4. cap. 53. p. 1. & 2.
Quæſt. 34. art. 1. vide libr. 2. cap. 14. p. 1. & 3.
Eadem q. art. 3. vide lib. 2. cap. 49.
Quæſt. 35. artic. 1. vide lib. 2. cap. 18. p. 2.
Quæſt. 36. art. 1. Vide lib. 6. cap. 1. p. 2. & lib. 4. cap. 66.
Eadem quæſt. artic. 2. & 3. Vide lib. 2. cap. 31.
Eadem quæſt. artic. 2. Vide libr. 2. cap. 43.
Eadem quæſt. artic. 3. Vide libr. 2. cap. 39.
Eadem quæſt. artic. 4. c. & ad 1. Vide lib. 2. cap. 34. & 36. & cap. 41.
Quæſt. 37. art. 1. Vide lib. 2. cap. 14. & lib. 6. cap. 2. p. 1.
Eadem q. artic. 2. vide lib. 2. cap. 46. & cap. 48. p. 1. & 2.
Quæſt. 38. art. 2. vide libr. 6. cap. 2. p. 2.
Quæſt. 39. art. 2. Vide libr. 5. cap. 13. p. 1.
Eadem quæſt. art. 5. & ad argumenta. Vide lib. 5. cap. 24.
Eadem quæſt. art. 8. Vide lib. 6. cap. 3. p. 1. & 2.
Quæſt. 40. art. 2. Vide lib. 2. cap. 53. & lib. 4. cap. 51. 54. 55. & 61.
Eadem quæſt. artic. 3. Vide libr. 4. cap. 63.
Eadem quæſt. art. 4. Vide lib. 4. cap. 59. p. 1. & 2. & cap. 64.
Quæſt. 41. articul. 2. Vide libr. 2. cap. 57.
Eadem quæſt. art. 3. Vide lib. 2. cap. 62. p. 1. & 2.
Eadem quæſt. art. 4. Vide lib. 2. cap. 24. p. 1. & 2.
Eadem q. art. 5. Vide lib. 2. cap. 26. p. 1. 2. & 3.
Eadem q. art. 6. & q. 50. art. 4. & q. 75. art. 7. Vide lib. 4. cap. 14.
Quæſt. 42. art. 1. 2. & 6. Vide libr. 3. cap. 21.
Eadem q. art. 3. Vide lib. 2. cap. 60. & 61.
Eadem q. art. 5. Vide lib. 5. cap. 14. p. 1. & 2.
Quæſt. 43. artic. 1. Vide lib. 6. cap. 5. p. 1.
Eadem q. artic. 1. 2. 4. maximè 8. Vide lib. 6. cap. 5. p. 2.
Eadem q. art. 2. Vide lib. 2. cap. 59. & lib. 6. cap. 8.

*Eadem quæſt. articul. 3. vide libr. 6. cap.7.*
*Eadem quæſt. artic.7. maximè ad argumenta. vide lib.6. cap.10.*
*Quæſt.50. art.5. vide lib. 4. cap. 22. p.3.*
*Quæſt.54. art.3. vide libr. 4. cap. 23. p.4.*
*Quæſt.75.art.2. & 6. vide libr.4. cap. 22. p.2.*
*Quæſt.76. per totam, maximè art. 1.2. & 3. vide lib.3. cap.6.p.1.*

¶ Index ad 1. 2. & 3.p.

*Ad 1.2. quæſt.31.art.5. vide lib.2. cap. 2. p. 2.*
*Ad 3.p.q.17.art.2.corp. & ad 1. vide lib.4. cap.26.p.3. & 4.*
*Quæſt.35.art.5. vide libr. 3. cap. 12. p. 1.*

FINIS.

Eadem quæſt. articul. 3. vide libr. 6. cap. 7.
Eadem quæſt. artic. 7. maximè ad argumenta. vide lib. 6. cap. 10.
Quæſt. 50. art. 5. vide lib. 4. cap. 32. p. 3.
Quæſt. 54. art. 3. vide libr. 4. cap. 22. p. 4.
Quæſt. 75. art. 2. & 6. vide libr. 4. cap. 22. p. 2.
Quæſt. 76. per totum, maximè art. 1. 2. & 3. vide lib. 3. cap. 6. p. 1.

¶ Index ad 1. 2. & 3. p.

Ad 1. 2. quæſt. 31. art. 5. vide lib. 2. cap. 2. p. 2.
Ad 3. p. q. 17. art. 2. corp. & ad 1. vide lib. 4. cap. 26. p. 3. & 4.
Quæſt. 35. art. 5. vide libr. 3. cap. 12. p. 1.

FINIS.

# OPERIS
# DE GRATIA INCREATA, ET CREATA,
## TOMVS PRIMVS
## De Spiritu Sancto.
# LIBER PRIMVS
## *De Deitate Spiritus Sancti;*
## CAPVT PRIMVM.
## Procemium.

***SAPIENTIAM** omnium antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum cõſeruabit, & in verſutias parabolarum ſimul introibit*, inquit Eccleſiaſticus.

*Eccleſ.39.*

2\. Explicatur locus.

Cùm enim in ſuperioribus, opificum exercitationem perelegantèr deſcripſiſſet, eorum qui operis ſuis, & ſibi victum quærunt, & reipublicæ vtilitatem afferunt: conuertens ſe ad ſapientiæ ſtudioſos, quorum eſt in cognitione veritatis vacatio, & otium lucubratio philoſophica; eis omnibus occupationis & officij quaſi materiam conſignans, antiqua iubet ſcripta euoluere, viros numine ſancto afflatos adire, diſputationes eorum, quos longa ætas commendat, apud ſe habere, eorumque dicta non obitèr conſiderare, ſed inſpicere penitùs, vt queãt penetrare in reconditæ veritatis inuolucra: ſic enim verſutias interpretamur quaſi argutias dicat, & obſcuras ſententias.

3\. Quid ſit ſapientia?

Eſt autem ſapientia rerum per principia prima cognitio, vt initio Metaphyſicæ proponitur; iſque ſapiens ſimplicitèr dicendus eſt, qui ad principia omnium prima ſe conuertit; vndè & Metaphyſica dicitur Philoſophia prima, & ſapientiæ nomen obtinet inter cæteras diſciplinas, quia earum principia ſpecialia ſuo ambitu præoccupat, & complectitur. Ad hæc reſpexit S. Thomas initio ſũmæ Theologiæ q.1.ar.6.cũ Theologiam nomine ſapientiæ maximè compellat, eò quòd ſit deductio quædam à prima veritate mentes hominũ per gratiam illuſtrante; & ipſius Deitatis, quæ eſt rerum principium, indagatio.

*S. Thom.*

4\. Donum quoque Spiritus Sãcti, quod nomine Sapientiæ vſurpamus, eſt facultas iudicandi de rebus diuinis per cau-

Donum ſapiẽtiæ eſt circa practica.

S. Thom.

S. Dyoniſ.

ſas altiſsimas. Sed hæc appetentem animi partem excitat, & circa practica verſatur, quaſi Architectonica in operibus ſtudioſis, vt S. Thomas docet 2.2.q.43. artic. 3. reuocans diuerſam ſententiam, quam docuerat 1.2.q.68.ar.4. cum eam in ſola veritatis contemplatione verſari crediciſſet. De quo munere Spiritus Sancti intelligendum eſt id, quod affert S.Thom.1.p.q.1.art.6. ex S. Dyoniſio. *Ierotheus doctus eſt non ſolùm ſciens, ſed & patiens diuina.* Quia ſolitus erat per hoc donum Sapientiæ, affectu in Deum excitari.

5. Prima Philoſophia nõ immeritò ſapientia dicitur.

Ob ſublimitatem ſubiecti, & difficultatẽ inueſtigandi.

Prætermiſſa ergo diſputatione de Sapientia, quæ eſt donum Dei, prima quidem Philoſophia, quæ eodem nomine Sapientiæ cenſetur, principijs vtitur cõmuniſsimis, atque adeò primis: nam ea quæ poſteriora ſunt diuidi oportet; priora autem coire, & ea eſſe ſimpliciter prima, quæ ſunt maximè communia. Sunt autem ea quoque, quæ communia dicuntur non ſolùm prima, ſed & remotiſsima à materia, quæ eſt propria ſingularium; commune autem, & ſingulare oppoſita. Ex quibus euenit, vt Metaphyſica inquiſitio difficilima iudicetur, eò quòd ſit rerum vniuerſalium à ſenſu, ac materia diſtantium.

6. Eapropter diſputatio metaphyſica non ſolùm antecellit cæteras diſciplinas, quaſi architectonica omnibus præeminens, ſed etiam ſapientiæ nomen habet propter difficultatem; maximè qua ex parte Dei naturam contemplatur; Theologiaq; à Platone dicitur, hoc eſt ſermo de Deo: Ariſtoteles verò libros ſuos Metaphyſicos etiã inter auſcultatorios recenſuit, quos ſic appellatos eſſe, ait Albertus Magnus, quia in ea ſcientia diſcantur potiùs veritates auctoritate docentis, quàm demonſtrẽtur; quod diſciplinæ obſcuritatem ſatis commendat. Licet etiam negandum non ſit Metaphyſicas aſſertiones ſcitè ſæpiùs demonſtrari. Obtinet ergo ea ſcientia non ſolùm ex ſublimitate ſubiecti, ſed ex difficultate quoque inueſtigandi, non immeritò Sapientiæ nomen; dicimus enim eos maximè ſapientes, qui rerum abditarum notitia prælucent.

*Plato*

Ariſtoteles cur libros ſuos metaphyſicos inter auſcultatorios recenſuit?

*Alb. Magn.*

7. Theologiæ obiectum.

Sed tamen Theologia noſtra, quæ ſacra doctrina, ſiue ſancta dicitur, ſolum Deum, diuinaq; conſiderat; de Deoque, A & de rebus diuinis non quaſuis ſucipit quæſtiones, ſed eas duntaxat, quæ naturalis intelligentiæ conatum ſuperant. Quæcũque autem in Theologia ex principijs per lumen naturæ cognitis oſtenduntur, extranea ſunt, & ad explicationem rei Theologicæ allata aliundè.

Occurritur obiectioni.

Conſiderandum eſt enim, quòd Deus Optimus, vt eſt rerum omnium principium, dicitur ens vniuerſaliſsimum; & à Philoſophis principium, & omnia: Conſentaneum enim eſt rationi, vt omnia præexiſtant in prima omnium cauſa, & origine; & conſequatur ens vniuerſaliſsimum, quod eſt natura Deitatis, vniuerſalitas operandi. Ita etiam neceſſe eſt, vt prima cauſa ſit ipſa prima B veritas, cum verum ſequatur ens, & cognitio naturam; & vt ab ea veritate prima omnis diſciplina, & ſcientia decurrat; ſicùt omne, quod eſt, à Deo eſt, vt à primo quod eſt, ſeu à primo ente, vt aiunt.

8. In intellectu creato nihil poteſt eſſe à naura inſitũ, ſeu naturalitèr, quod excedat modũ naturæ.

Sicut igitur Deitas in operatione ſua ſe ſe explicat, ita & ſui notitiam parit. Vnumquodque enim intelligitur ſecũdum quod eſt in intellectu; intellectus autem etiam Angelicus non poteſt habere aliquid à natura inſitum, quod excedat modum naturæ: igitur Deus, qui C infinitè diſtat à natura creata, non poteſt eſſe in intellectu creato etiam Angelico ſecundum id, quod eſt; ſed ſicut cauſa in effectu modo quodam definito; ergo non poteſt intellectus quicunque naturali facultate Deum capere; ſed cognoſcit Deum ex effectis duntaxat attingendo aliquid diuinum, & non quid eſt Deus. Eadẽ ratione probatur, quòd ex effectibus, eos duntaxat vis naturæ poteſt apprehendere, qui modum naturæ non excedunt: vndè miracula non ſunt naturalitèr nota, ſed per fidei præ- D dicationem innoteſcunt; & ex ijs, quæ nota ſunt, aliorum poſsibilitas poterit forſan ratione inueſtigari.

9. Theologica diſputatio, & cognitio duplex eſt, vtraque ſupernaturalis.

Sunt ergo in duplici genere Theologicæ diſputationes, vel enim verſantur circa diuinas origines internas, quæ ex effectibus non fiunt notæ, vt infrà oſtendemus; vel circa externas Dei operationes, quæ modum naturæ operantis tranſcendunt. Et vtroque modo cognoſcimus Deum, non prout eſt in nobis ad modum naturæ noſtræ, ſed prout eſt in ſe, ſiue vt per ſe ipſum innoteſcit.

Conſcen-

Conſcendimus enim ad notionem ſubſtantiæ ipſius Deitatis ſecundum quod eſt in ſe, ſcilicèt ſecundum quod in tribus perſonis exiſtit: vel ad eorum operum cognitionem, quæ omninò non apparent, ſed per colloquium, & illuſtrationem ipſius primæ cauſæ nobis elucent, vt quod Deus factus ſit homo,&c. Cuius operis poſsibilitas ratione naturali non poteſt oſtendi, ſed latet in ipſa potentia Dei operatrice, prout in ſe eſt, hoc eſt, prout excedit omnem creatam intelligentiam. Quod pulchrè admonet
S.Hilar. S.Hilar. lib.1.de Trinit. *Proficit enim mens vltra naturalis ſenſus intelligentiam: & plus de Deo quàm opinabatur, edocetur; Creatorem enim ſuum Deum ex Deo diſcit,&c.* Et ſubindè enumerat S.Hilar. myſteria fidei, quæ à Deo edocemur.

10. Theologia ſacra præcipua dicitur ſapientia inter ſcientias.

Ex quibus facilè intelligitur, quòd ſit noſtra Theologia inter ſcientias princeps ſapientia, tùm ob excellentiam ſubiecti, tùm propter rerum difficultatem; & quòd ſit quidam diuinus fœtus ex fide diuina, & humana ratione editus, ſuaque omnia principia petat à ſcientia beatorum, quæ eſt laus Theologiæ egregia; eò quòd prima veritas non in effectibus propoſita, ſed ſeſe ipſam aperiens & commoſtrans, ſit huius diſciplinæ initium, & origo. Vndè conſequutio firma eſt, vt *Sapientiam antiquorum exquirat Sapiens*, id eſt, ſapientiæ ſtudioſus: illa enim ſapientia hoc loco commendatur, quam ſacri Auctores literis ſacris mandarunt, Deo ipſos intùs alloquente, quod explicatiùs dicitur, *Et in Prophetis vacabit.* Eos enim oportet rerum in Deo occultarum habere præceptores, qui à Deo ipſo didicerunt.

11. Quia verò non omnia nobis ad doctrinam neceſſaria in ſacris literis traduntur; neque ſunt omnia in Concilijs, aut vſu Eccleſiæ præſcripta, conſentaneum eſt, vt antiquos quoque Patres, & amicos Dei, maximo in loco Theologia reponat: amicis enim ſuis nudè detegit Deus Optimus myſteria, & arcana diuina, iuxta illud Ioan. cap. 15. *Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo nota feci vobis.* Vndè & Apoſtolus 1. Corinth. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum.* Sanctis ergo viris à Deo dilectis myſteria declarantur, quorum narrationes, commentaria, inquam, ſeu diſputationes, vir ſtudioſus poſt ſacras literas, & fidei dogmata in ſecundo loco habeat, conſultum eſt; & in argutias quæſtionum non ſine illis pedem inferat: hoc enim ſignificat qui ait, *In verſutias parabolarum ſimul introibit.* Simul, inquam, à Sanctorum Patrum comitatu nunquam diſcedens, iuxta modum loquendi Iſaiæ cap. 64. *Oculus non vidit Deus abſque te.* Hoc eſt, niſi te duce, & comite nullus agnouit. Quam etiam admonitionē accipimus à S. Dyoniſ. de diuinis nominibus cap. 2. qui cum cap. priori præcepiſſet ne auderemus de ſancta Deitate aliquid dicere, aut cogitare, niſi quod ſit à ſacris literis acceptum, idem repetens ſub illis verbis, *Ad diuinos ſplendores conuenit aſpicere, &c.* ſcilicet ad illuſtrationes diuinas per ſacras literas: ſubiungit autem ad hæc, *Ibi poſita Sanctorum cuſtodia cuſtodiri, & ab ipſa ad cuſtodiendum cuſtodientes ipſa confirmari.* Haud dubium eſt, quin Sanctos Patres cuſtodes ſacrorum eloquiorum diuinitùs planè nominet, qua nos cuſtodia cuſtodiri ait, & dùm ipſorum doctrinam cuſtodimus, ſeu obſeruamus ab ipſa cuſtodiri nos, & in veritate ſincera tutò ſeruari. Vndè illud 1. Timoth. c. 6. *O Timothee depoſitum cuſtodi, &c.* Et rurſùm 2. Timoth. cap. 1. *Bonum depoſitum cuſtodi, &c.*

Ioan.15. — 1.Corint.2. — Iſaia.64. — S.Dyoniſ. — Patres ſunt cuſtodes ſanctæ ſcripturæ. — 1.Timot.6. — 2.Timot.1.

12. Hoc igitur quod mihi maximè animo inſidet, initio ſcribendi teſtatum eſſe cupio, nihil me amplius curaturum, quàm vt à Patrum ſenſu, & à communi ſchola non diſcedam, memor illius aſſerti Conſtātinopolitanæ Synodi 6. quod huic operi præfixum relinquo, *Omnino neceſſe eſt non ſolum ſecundum ſenſum ſequi Sanctorum Patrum dogmata, ſed eiſdem vocibus vti ſimul cum illis, nihilque penitùs innouari.* Conc.Conſtātinopolit.

## CAPVT II.

*Proponitur ſubiectum operis.*

1. Deus ex nullo debito mundum cōdidit.

Conſiderandum verò eſt Deum nō condidiſſe mundanum opificium ex debito aliquo. Et in primis quod non illud condiderit ex debito iuſtitiæ elegantèr oſtendit S. Thom. 2. contra gent. S. Thom.

Probatur primò quoad debitũ iuſtitiæ.

cap. 28. is enim, qui ex debito iuſtitiæ operatur, non operatur propter ſe, ſed propter aliud; quod repugnat fini vltimo: & iterùm, præſupponit actionem alterius, cui debitum reddit; quod repugnat primo agenti: & adhùc, accepit aliquid ab alio; quod repugnat diuinæ dominationi, & immutabili naturæ; ergo quod Deus acceſſerit ex debito iuſtitiæ ad opus ipſum creationis eſt impoſsibile.

Secundò quoad debitũ gratitudinis.

Et iiſdem rationibus oſtenditur quòd neque ex debito gratitudinis; licet enim gratiarum redditio non ſit coacta debito iuſtitiæ, ſed liberalis & ingenua (quo diſcernitur à iuſtitiæ debito) & ex hac parte minus repugnet diuinæ excellentiæ; cæteris tamen partibus non eſt minor repugnantia, quòd id quod eſt ſimpliciter primum, primum opus ſuum ex debito gratitudinis aggrediatur.

2.

Tertiò quoad debitum rationis.

His autem eſt adijciendum, quòd neque ex debito rationis res temporarias Deus effecerit; nam debitum rationis trahitur ex lege aliqua, ſeu legibus, quibus ipſa ratio deuinciri oſtenditur. Vnde dirigi oportet rationem, quæ eſt legi obnoxia, & indè debitum contrahit: id autem quod eſt primum, eſt regula aliorum; ergo impoſsibile eſt, quod Deus, cum ſit prima regula, debito rationis teneatur, aut operetur ex debito.

3.

Quartò quoad debitum cõdecentiæ ex parte finis.

Sed neque ex debito condecentiæ ex parte finis, aliqua neceſsitas Deum induxit ad opus creationis. Nam eo quòd eſt finis vltimus non potuit ad id induci propter aliud; & eo quòd ſibi nihil ex opere ſuo accreſcit, non potuit neque propter ſe moueri ex vtilitate aliqua. Quare ſi debitum ſignificet id, quod deeſt alteri, creatio rerum non erat debita diuinæ bonitati, etiam debito condecentiæ ex parte finis; quia etſi à creatione rerum abſtineret, ad id quod ſibi ipſi debitum erat, non minus faceret, gloriamvè ſuam, aut decus vllo pacto detereret, aut imminueret. Quæ omnia ex eo quòd Deus eſt primum rerũ principium, & finis vltimus, manifeſtè deducuntur.

4. Philo.

Doctè igitur Philo Iudæus Allegor. lib. 2. *Iuſtus*, inquit, *quærens rerum naturam, in hoc inuenit inuentum optimum, quòd gratia Dei ſint, quæ ſunt omnia; ſibi enim creando gratificatus eſt nihil, quando illi nihil indè accreſcit.*

A *Ideoque tantùm gratiam profundere proprium eſt ei. Quærentibus igitur principium creaturæ rectè reſpondebitur, bonitas, & gratia Dei, &c.* Gratiam autẽ Dei dicit, eò quòd non ex debito aliquo hæc omnia Deus effecerit. Quæ etiam eſt interpretatio Concilij Conſtantin. 6. actione 11. de animabus, & Angelis, vbi ait: *Non naturam re vera incorruptam, propriève immortalem habentes eſſentiam; ſed gratiam à Deo ſortiti ſunt, quæ immortalitatẽ largitur, &c.* Abſit enim vt in ſancta Synodo aſſeratur animos hominum, & Angelos corrumpi poſſe, aut interire; ſed duntaxat habere eos vitam Dei beneficio acceptam; quod vocat B Concilium gratiam, eo quòd Deus nullo debito impulſus ſit, vt vel animos noſtros, vel Angelos cœleſtes ex nihilo procrearet. Hac ergo gratia, qua creati ſunt, ſunt immortalem naturam conſequuti, vt ſemel creati nequeant interire. Videndus ſuper hac re S. Dyoniſ. libr. de diuinis nominibus cap. 6. & S. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 26. vbi refert, atque exponit congruentèr locũ Platonis in Timæo pag. 480. vbi inducit Deum animas, & Angelos alloquentem.

Creatio gratia quædam dicitur.

*Conc. Conſt.*

*S. Dyoniſ.*

*S. Aug.*

*Plato.*

5.

In omnibus effectibus Dei eſt debitũ naturalis iuſtitiæ, ſi inter ſe & cũ Deo cõferantur.

At verò ſi res ipſas effectas inter ſe C conferamus, debitum naturalis iuſtitiæ in illis oportet concedere, cum S. Thoma 2. contra gent. cap. 29. Habent enim inter ſe neceſſariam coniunctionẽ propter ordinem, tum ex parte finis, ad quem media ſunt conſignanda apta, & neceſſaria; tum ex ordine principiorum, vel eſſentialium in compoſitione materiali, quæ ſunt materia, & forma; vel actiuorum, ad quæ actio ex neceſsitate conſequitur. Et ita ex parte rerum creatarum nullum opus Dei iuſtitia vacat, iuxta illud Sapientię 11. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* D Quæ abſque dubio ad iuſtitiam naturalem, de qua ſermonem facimus, referuntur. Sed ſecundum hanc neceſsitatem naturalis iuſtitiæ (vt vtar verbis Sancti Thomæ eo loco) *Deus debitor dici non poteſt, ſed magis in creaturam debitum neceſsitatis cadit.* Hæc ille. Superſedemus autem ab illa controuerſia, An Deus ſe ſe debitorem ex fide data conſtituat iuſtis bene erga ſe merentibus? Quod alio loco erit inueſtigandum.

*S. Thom.*

*Sapient. 11.*

Hoc modo Deus dici non poteſt debitor

*S. Thom.*

Euici-

6. Euicimus igitur nullam eſſe in Deo rationem, vndè ipſe debitum contrahat; nihil autem eſſe in operibus eius extra debiti rationem, ſi rerum effectarum ordinem conferamus. In omnibus enim iuſtitia naturalis præſtatur, dùm ad fines naturæ ſuæ congruos res quæque per actiones, & formas aptas dirigitur. Enimverò etſi Deus ijs, quæ ſunt naturæ rerum neceſſaria, adijciat plura ornamenta naturæ, hæc tamen ad iuſtitiam naturalem conducunt; quia debita ſunt naturæ, dùm ordinem naturalis finis non excedunt, & ſunt neceſſaria ſimplicitèr non vt res ipſæ ſint, ſed vt (id quod naturam decet) meliores ſint.

Etiam ornamēta naturę ipſi ſunt debita, vt res meliores ſint.

7. Ordinatio in finē ſupernaturalem non eſt ex debito iuſtitiæ naturalis.

At verò mentes rationales deſignauit Deus, pro bonitate ſua, in finem natura ſublimiorem, vt eſſent Deitatis participes; & ad eum finem efficientia principia animis indidit, mediaque ſupra naturam, & fini excellenti idonea aptauit. Quod totum opus cum naturam excedat, non poteſt ex debito iuſtitiæ nominari, ſed nomine gratiæ in ſacro eloquio eleganter nuncupatur. Eaq; eſt præſentis operis materia, adæquatumque ſubiectum, extenſo nomine gratiæ ad increatam, & creatam, vt explicabimus.

Subiectum adæquatum præſentis operis aſsignatur.

8. Quid nomine gratiæ in hoc opere ſignificetur.

Hoc tamen nomine non quoduis beneficium diuinum complectimur, ſicut retulimus quoſdam vocaſſe gratiā opus creationis, eo quod Deus artifex ab omni ratione debiti ſolutus, & liber naturas rerum effecerit. Sed ea ſola Dei beneficia, quæ naturam excedunt, & in quibus iuſtitia naturalis non cernitur, gratiæ nomine cum Theologis nuncupamus.

9. Pelagiana hęreſis.

Oportet autem per tranſennam meminiſſe Pelagianæ hæreſis, aiebat enim Pelagius hominem quidem ſalutem æternam conſequi per gratiam Chriſti. Sed veræ ſententiæ doloſus interpres gratiam Chriſti ipſam naturam liberi arbitrij appellabat; quia, vt paulò anteà dicebamus, creatio quoque gratia quædam eſt, quia non eſt ex meritis. At verò Eccleſia Chriſti prædicat gratiam nō ſolùm quæ merita nulla ſequatur, ſed quæ naturam ſubuehat ad eas operationes, aut ad ea dona, quæ ſunt ſupra naturam; gratia verò creationis non ſufficit ad ſalutem æternam obtinendam. De qua re multa diſputat Sanctus Au-

Creatio quo ſenſu gratia dicatur.

A guſtinus doctiſsimè ſuis libris contra Pelagium; & Epiſtola 195. ad Innocentium Papam hanc gratiam expoſtulat à Pelagio, *Quæ*, inquit, *non eſt natura, ſed qua ſaluatur natura*. Et inferiùs. *Etſi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati ſumus, vt nonnihil eſſemus*. Et iterùm. *Vndè meritò & iſta gratia dici poteſt, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt; alia eſt tamen, qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, glorificamur, vt dicere poſsimus, ſi Deus pro nobis, quis cōtra nos?* Sed de his Tomo 2. & 3. multa ſunt nobis differēda. Hæc igitur gra- B tia Chriſti eſt, quæ naturam promouet, atque eleuat ad diuina.

S. Aug.

## CAPVT III.

*Subiectum operis commendatur.*

QVod gratia excedat naturam, ab eo fine accipiendum eſt ad quem per gratiam euehimur, vt diuinæ fælicitatis, qua Deus fruitur, compotes ſimus, iuxta illud primæ Ioan. 3. *Nondum apparuit quid erimus, ſcimus autem quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus.* Vndè rectè S. Auguſtinus lib. 19. de Ci- C uitate Dei cap. 25. *Sicut non eſt à carne, ſed ſuper carnem, quod carnem facit viuere; ſic non eſt ab homine, ſed ſuper hominem, quod hominem facit beatè viuere.* Et cap. 26. ſubdit. *Vt vita carnis anima eſt, ita vita beata hominis Deus eſt.* A qua tamen ſimilitudine aliquatenus declinandum eſt, ne in anima capacitatem naturalem gratiæ, ſicut eſt animæ in carne ipſa, fingamus: ſed ſicut non educitur anima rationalis ex potentia materię, ita neque gratia ex natura educitur; quia ſupra naturam eſt. Hoc autem eſt diſcrimen, quòd in materia prima, ſeu in corpore eſt naturalis capacitas, & potentia naturalis paſsiua, vt recipiat animam rationalem; in anima verò non eſt naturalis potentia paſsiua ad recipiendam gratiam, quæ eſt ſupra naturam. Cum igitur media cum ipſo fine collationem habeant, & ordinem, impoſsibile eſt ad eum finem, qui eſt ſupra naturam, per opera naturæ perueniri. De quibus ſigillatim ſuis in locis erit nobis longiùs diſputandum.

1. Gratia ſupra naturam.

1. Ioan. 3.

S. Aug.

Explicatur S. Auguſt.

Dignitas gratiæ Dei.
1. Cor. 2.

2\. Quòd ſi oportet hoc loco ſubiecti excellentiam, dignitatemque demonſtrare, ſatis nobis eſſe poterit illud Pauli 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcēdit, &c.* Vbi non ſolum loquitur de fœlicitate æterna, ſed de ijs etiam diuinis muneribus, quibus ornamur, dum viuimus, vt digni ſimus, qui cum Deo ambulemus ad ſuperna ipſius hæreditaria bona gradum facientes. Et ibidem. *Non Spiritum huius mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Loquitur ergo de ijs bonis, quæ iam acceperat, quorũ bonitatem, & decus non niſi per Spiritum Dei poſſe ſciri affirmat, ne dicam explicari.

Dona gratiæ etiam viatoribus collata non niſi per ſpiritum Dei ſciri poſſunt.

S. Thom.
S. Aug.
Gratia vnius hominis totã ſimul creatã naturã nobilitate, & perfectione excedit.
2. Petr. 1.

3\. At verò S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9. gratiam vnius hominis præponit molitioni huius mũdani opificij, cum S. Auguſtino in Ioan. cap. 14. Excedit enim gratia vnius hominis totam ſimul creatam naturam, perfectione, & nobilitate: gratia enim eſt quoddam Deitatis conſortium iuxta verbum Petri Apoſtoli epiſtola 2. cap. 1. *Vt per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Nam cætera diuina opera vmbram quandam Deitatis ſubobſcurè imitantur. Quòd ſi quæ ſunt, quæ in analogia intelligentiæ conueniunt, non ſolùm communiſsime, vt ſubſtãtia, relatio; ſed in quadam notione ſpeciali, vt intellectus, ſapientia, &c. per ea tamen nihil eſt nobis cum Deo, vt eſt in ſe ipſo, commune: quia id quod eſt Deus neque attingere intelligentia, neque affectu amplecti poteſt natura creata. Vtrumque autẽ conceditur nobis per gratiam, quæ eſt noſtrum cum Deo conſortium. Vnde rectè Tertul. in Apolog. cap. 11. Deum Deificũ cōpellat, quia Deos ſanè nos efficit ad ſe ipſum prout in ſe eſt aduocans, ac pertrahens fœliciſsimè.

Tertul.

Neceſſaria nobis gratia Dei.
2. Cor. 3.

4\. Ad hunc autem finem præclariſsimũ quam nobis ſit neceſſaria Dei gratia, ſonat vbique Eccleſia Dei. Et Paulus 2. Corinth. 3. *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis.* Quòd neque cogitare quid poſſumus Deo dignum, niſi ex gratia ipſius. Quod ſi vel eloqui nequimus, quam fruſtrà ſine gratia Dei maiora conabimur? Pulchrè S. Bernard. cum in illa verba commentaretur Cantic. 8. *Innixa ſuper di-* A *lectum*, ſerm. 85. inquit, *fruſtra nititur, niſi innititur.* Quia vanus, & inutilis conatus omnis eſt, niſi gratiam connitentem habeamus, ſeu Dei cōnitamur præſidio. Noſtra ergo opera gratia ipſa prævenire dicitur, concomitari, & ſubſequi; vt quoduis opus noſtrum ad beatum finem nos conducens, gratiæ diuinæ omni ex parte deferatur. Quamobrem noua creatura etiam hac ratione vir fidelis aptè dicitur 2. Corint. 5. & ad Galat. 6. quia totum eſt nouum in homine, & nouæ cuiuſdã creationis, vt verbis vtar Pauli Hebr. 9. quod eſt ſcilicet ſupra hominis ipſius naturã. Et oportet ideò B nos naſci denuò, vt ait Chriſtus Dominus Ioan. cap. 3. ſeu iterum cōſeri, quod per Ezechiel. cap. 36. prædixerat. *Quia ecce ego ad vos, & arabimini, & accipietis ſementem, & multiplicabo in vobis homines.* Scilicet vt fiat noua hominum ſeges ad æternam fœlicitatem renata.

S. Bern.

Qua ratione vir fidelis noua creatura dicatur.
2. Cor. 5.
Ad Gal. 6.
Hebr. 9.
Ioan. 3.
Ezechiel. 36.

5\. Iam verò humano generi perdito quantum gratiæ Deus Optimus conferat, à morte ad vitam reuocans, & vindicans à ſeruitute peccati in libertatem ſpiritus, in hæreditatem cœleſtem, quis queat explicare? De hac Dei gratia, inquit S. Ambroſ. in epiſtol. ad Roman. C cap. 11. *Duplex ergo gratia eſt, quia hoc competit Deo, quia abundat miſericordia, vt requirat quos gratis curet.* Nam ſatis, ſuperque gratiæ erat, ſi ij omnes, qui Deum vt medicũ inquirerent, morbum inſanabilem pellerent. Sed eſt duplex gratia, quòd ipſe medicus inquirit, quos ſanet.

S. Ambr.
Diuina gratia, & miſericordia ſuper abundat.

6\. Sed quòd gratia Dei ad Theologicam diſputationem pertineat, nulli dubium eſſe poteſt; opera enim gratiæ ex ijs maximè ſunt, quæ omnipotentiam Dei requirunt, ita vt ſola fides diuina poſsibilia eſſe oſtendat: imò cætera qui- D dem diuina effecta mirabilia excedunt rerum naturam, quoad modum operandi duntaxat, vt quòd ſubitò fiant quibus erat à natura longiùs tempus præfixum; quòd impediatur actio naturalis; quòd redeat priuatio ad habitũ; ita accidunt miracula dum in momento ægritudines pelluntur; dum ignis virtutis ſuæ oblitus appoſita nō comburit; dum cæci aſpectum recipiunt, & mortui vitam. At verò quæ gratiæ opera ſunt, adijciuntur naturis rerum, & modum exiſtendi

Supernaturalia quoad modum operandi.
Supernaturalia quoad entitatem.

Potentia paſſiua naturalis nõ datur ad formas ſupernaturales.

ſtendi immutant;dona enim gratiæ ſunt formæ mentibus noſtris additæ abſquè naturali capacitate, hoc eſt, abſque potentia paſsiua naturali,quia nullũ agens naturale poteſt talia opera efficere; vbi autem non eſt potentia naturalis actiua, impoſsibile eſt ineſſe naturæ paſsiuam.

Non repugnantia cõceditur.

Eſt tamen in natura rationali capacitas,hoc eſt,non eſt repugnantia;nec enim aliquid obſtat quin poſsit animus humanus à Deo Optimo diuinis ornari numeribus. Quod etiam humanitas in perſona diuina exiſtat,eſt nouus modus exiſtentiæ ad gratiam ſummam attinens; & gratiæ quoque referẽdum eſt, quod quantitas in Sacramento ſine ſubiecto exiſtat,vt contineat Corpus Chriſti pro alimonia animorum.

7. Diſputatio de gratia totam ferè cõtinet Theologiæ amplitudinem.

Hæc autem per gratiam effecta, ſi ad principia prima reuoces, diſputatio de gratia totam ferè continebit Theologiæ amplitudinem. Agendum enim erit de prędeſtinatione Dei,quæ eſt gratiæ fontana origo; tum de tribus gradibus gratiæ, ſcilicèt de inchoata,qua dũ viuimus, præditi ſumus; de conſummata,quæ eſt fælicitatis conſequutio:& de gratia vnionis. Neque ab hac differendi ratione myſterium Trinitatis poteſt eſſe alienum,cum nihil ſit cum operibus gratiæ coniunctius. Hæc eſt igitur materia, hoc ſubiectum operis, quod Deo auſpicante aggredimur.

## CAPVT IIII.

### *Nomen gratiæ æquiuocum eſt.*

1. Gratiæ nomen æquiuocũ apud Latinos.

POſtulat ratio diſciplinæ, vt in ipſo diſſerendi exordio, nominis gratiæ æquiuocationem reijciamus. Eſt autem nomen gratiæ ambiguum, cuius tamen ſignificationes omnes crediderim à prima quadam deriuari,vt gratiam pro beneuolentia,vel amicitia accipiamus;

Prima ſignificatio.

gratum enim etiam id,quod placet,dicitur; & ideo quæ amamus dicimus grata nobis eſſe ſiue accepta;quæ eſt interpretatio Tulliana ſatis frequens;& apud eundem Tullium Ciceronem dicuntur gratiam inire,qui in beneuolentiam veniũt alicuius;ita vt vtrumque nomen,gratia, & gratum, in hac ſignificatione minimè diſsideat. Vnde nomen gratiæ pro cauſa finali accipitur, cum dicimus nos aliquid facere gratia alicuius rei,ſeu in gra-

A

tiã cuiuſpiam; hoc eſt, propter aliquem finem,ſeu propter quempiam,quem diligimus: id enim,quod diligimus,eſt ipſius voluntatis finis. Exinde videtur nomen hoc, gratia, dilatatum ad ſignificãdum quoque gratuitũ beneficium propter beneuolentiæ, & beneficij affinitatem. Secund.

Quam nominis intelligẽtiam apud Ciceronem etiam inuenies. Beneficij verò redditionem ſæpius gratiam vocari. Tert.

Quæ ſignificatio eſt vſitatiſsima. Vnde gratia pro gratitudine, & is gratus appellatur,qui eſt beneficij memor. Deinde fauorem gratia ſignificat,& dicitur quiſpiam venari gratiam popularem, & is gratioſus,cui fauēt alij. Quart. Quint.

B

Denique gratiam facere iniuriæ, eſt remittere; quia ſine compẽſatione debiti, ſed gratis fit; iuxta illud Plauti. *Iuriſiurandi volo gratiam facias*, ideſt exſoluas me ab obligatione iuriſiurandi, quo tibi ſum aſtrictus. Plautus.

Iuxta quam ſignificationem aduerbium, gratis, deducimus,ſeu gratuitò,hoc eſt,non ex debito: nam & beneficium gratuitum, & veniam gratuitam ſolemus dicere.

Similitèr æquiuocum in ſacris literis. Prima ſignificatio.

Eaſdem nominis notiones in ſacris eloquijs facilè reperies;in primis gratiam pro dignitate diuinę amicitię,qua ſumus Deo accepti,

C

in Epiſtolis Pauli frequenter, vt initio 3. tomi explicabimus. Pro beneuolentia verò ſæpe ſæpius in veteri pagina. *Si inueni gratiam*,hoc eſt,ſi mihi bene vis. Secunda.

Et id etiam quod eſt conſequens, vt beneficium gratuitum hoc nomen enunciet. Imò & ipſum habitum,ſeu propenſionẽ ad beneficia effundenda nomine gratiæ legimus. In quo ſenſu videtur accipi Sapient.4. *Gratia Dei,& miſericordia eſt in Sanctos eius, & reſpectus in electos illius.* Sapient. 4.

Pro ipſo verò beneficio ſæpius, Eccleſiaſtici 40. *Gratia ſicut Paradiſus in benedictionibus.* Eccleſiaſt. 40.

D

Id eſt eleemoſyna,& beneficia ex charitate profecta, vt hortus amęniſsimus vberes fructus faciẽs. Et 2. Corinth. 8. *Vt in hac gratia abundetis.* In largitione eleemoſynarum. 2. Cor. 8.

Vnde ſyncathegorema,gratìs,ſeu gratuitò, iuxta illud Geneſ. 29. *Numquia frater meus es,gratis ſeruies mihi?* Gen. 29.

At verò pro beneficij, vel officij redditione, ſeu gratitudine vſurpatur Eccleſiaſtici. 3. *Eleemoſyna reſiſtit peccatis,& Deus proſpector eſt eius, qui reddit gratiam.* Tertia. Eccleſ. 3.

Vbi ſatis diuina gratitudo noſtro loquendi modo explicatur; dicitur enim Deus